
Ex Bibliotheca
Caroli Morgenstern
MDCC XCV.



PETRI
BEMBI
opuſcula
aliquot,

*

Quæ ſequenti pagella connumerantur.



Biblioth.
Academ.
Dorpat.

APVD GRYPHIVM
LVGDVNI,
1532

ELENCHVS EORVM QVAE
hoc opere continentur.

Petri Bembi De Culice Vergiliana, & Terentij Fabulis Liber unus.

Ioannis Francisci Pici ad Petrum Bembum de imitatione libellus.

Petri Bembi responsio ad eundem.

Petri Bembi De Aetna, ad Angelum Gabrielem, liber.

Eiusdem de Guido Vbaldo Feretrio, deq; Elizabetha Gonzagia, Vrbini ducibus Liber.

Benacus eiusdem, & epigrãma pro ara Coryciana.

Eiusdem epistolæ aliquot elegantißimæ.

670

151657569

PETRI BEMBI AD HERCVLEM STROtium de Vergilij Culice & Terentij Fabulis liber.

CVM superiore anno Romæ ego & noster Quirinus essemus, eo tempore, cum ille magno hominũ concursu, magna admiratione ciuitatis, quatuor millibus ac quingentis illis à se in philosophia propositis sententijs omniũ omnis disciplinæ philosophorũ impetus penè puer summa cũ gloria sustinuit: erant Stroti nobiscum sæpe cum alij docti uiri, quibus semper floruit illa urbs, nõ sanè pauci, tum uel imprimis Phædrus Volaterranus, homo & ingenio, & doctrina propè singulari, & qui ea tempestate ferè omnium Romanorũ eloquẽtißimus habebatur, uidebaturq; mirificè uel dicendo uel scribendo uetere illam Romanã grauitatẽ simplicitatemq; redolere. Fuerat is quidẽ multo antea Hermolai Barbari usus familiaritate, dum ille apud Innocentiũ Pont. Max. à nostra Rep. Romam missus Legati munere fungeretur, posteaq; ab eo in sacerdotiũ adscitus, legatione renũtiata, in urbe remansisset: ad quẽ (ut ipse aiebat) à Pomponio Læto, cuius erat ipse tunc sectator, sæpißime deducebatur: magnã enim inter illos uros beneuolentiã conflauerat artium studiorumq; similitudo. Nam in literis quidẽ (ut scis) alteri eorũ Romani homi-

nes, alteri nostri primas partes deferebant. Et Pomponio quidē uel ætas ipsa, erat enim iam senior, uel quod ei Romæ floruisse cōtigerat, habet enim ille quidē magnā apud omnes, semperq; habebit maiestatē ac uenerationē locus, multū autoritatis afferebat. Hermolaus autem ad humaniores illas doctrinas, & cultū literarum, in quibus excellere Pomponius existimabatur, cum iuris ciuilis scientiā, quā quidem admodum adolescens fuerat cōsequutus: tum uel maxime philosophiæ studia, in qua semp multū operæ insumebat, adiunxerat: easq; omnes artes Græcarum literarū luminibus illustrabat, quarum esse peritissimus credebatur. Is itaq; Phædrus cum esset nobiscum, quod erat ferè quotidie, (nihil est enim illo comius, nihil humanius) multa tunc à se puero de Hermolao audita, multa de suo magistro Pomponio memoriter recensebat, præclara sanè ac digna tantis uiris, quæq; nescias, utrum à nobis auscultarentur, an ab illo recitarentur maiori cum uoluptate. Nam pergratum nobis erat uel nostri hominis maximi ac doctissimi uiri, quem tantummodo uidimus, uel alieni, quem ne uidimus quidem, præsertim Romani, & in Romana academia longe principis, sermones disputationesq; recensentē, audire: & ille, credo quia nobis sese facere rem gratissimam sentiebat, siue quia ita se magistro suo gratiam existimabat relaturum, ijs sermonibus libentissime detinebatur: Quos quidem uniuersos erit fortasse nobis aliud tempus memoria repetendi, cæterisq; perscribendi. Tibi uero Stroti nunc, potissimum eum sermonem confecimus, quem illi de poētis aliquot nostris habuerunt. Nam quid possum ego, qui poē-

ticis

ticis studijs uehemēter delector, tibi præsertim poētæ homini mittere aptius? Patiare uero à me hoc te nomine appellari. Quanquàm enim è Musarū scholis, quæ te aluērunt, nescio quo fato, quasi transfuga, te repente traduxeris ad forum, in quo summum longeq; amplissimum in tua urbe magistratum adeptus, ita uersaris, nihil ut unquam omnino aliud egisse uideare, quandiu tamen uel elegi uel endecasyllabi tui extabunt, uel illa heroica uenatio legetur, legetur autem, ut de Midæ regis sepulchro ait ille, dicam autem latine, ut tu ea facilius possis, qui Græcorum linguam non multum calles, intelligere:

Dum fluet unda, ferent altæ dum robora syluæ,
Solq; dabit mundo surgens & Cynthia lumen,

tam diu omnes homines te poētam appellent, necesse est. Atque illi quidem si uiuerent, qui hæc ipsa, quæ ad te mittimus pertractauerunt, inter seq; disseruerunt, essetq; ab ijs eligendus aliquis, cui ea cognoscenda traderentur, ad te unum illos arbitror maxime omnium esse uenturos. Similia enim similibus commendanda sunt. Sed est mihi quidem tecum certe etiam alia causa, qua nulla potest esse laudabilior, amoris & beneuolentiæ necessitudo: quæ quoniam tu iam pluribus tuis, cum de me, tum ad me honorificentissime amicissimeq; scriptis carminibus qualis esset ut omnes homines intelligerent, effecisti, cauendum mihi est, ne si nihil omnino ipse ad te scripsero, parum dignus uidear, cui tu tantum non dicam iudicij tribueris, nam id quidem tuo, hoc est poētarum iure fecisti, sed amoris. Amo autem te mi Stroti, semperq; amabo, uel quia es amore omnium ipse dignissimus, uel quia me amas. In

altero id doctrinæ ingenio, moribus illis tuis suauissimis debeo, in altero uoluntati. Itaque hæc leges scio, tanquam ab homine missa tibi coniunctissimo, libenter: tanquam uero à maximis atque doctissimis uiris disputata, etiam cum uoluptate. Aiebat enim ille idem Phædrus, nullo se unquam spectaculo tam libenter detentum, quàm cum illos dissérentes audiebat: tam lenis, tam docta, tam elegans inerat in ore utriusque semper oratio: quemadmodum accidit, cum in eum sermonem incidissent, ut de poëtis loquerentur. Nam cum ad Hermolaum Ponponius, ut solebat, ex Quirinali ad Mincruæ uenisset, essetq; ipse unà cum Pomponio, atque illum in hortis sedentem offendisset, erat autem meridiei ferè tempus, consedisse ibi tum cum illo, uisoq; hominis marmoreo truncо, qui ante illorum pedes humi temere atque indecore iacebat, sine capite, sine pedibus, sine etiam manibus, pallio tantum læuo brachio inuoluto, ita cœpisse Pomponium dicebat: à me uero hæc nunc, tanquam illos dissérentes audias, explicabuntur: sic enim malo, quàm alio modo: est autẽ res sic inter illos acta: POMP. Ista uero Hermolae, quã hic habes obtruncatã deturpatãq; omnibus modis statuam, quis scit, an alicuius Fabiorum, Marcellorum, Sulpitiorum, Catonum, aut etiam Scipionum illorum hostium euersorumq; Cartaginis fuerit effigies? Non enim scire te arbitror, cũ neq; uultus eius inspiciatur, neq; nomen legatur, cuius fuerit. HERM. Recte tu qdẽ arbitraris: Ego enim id Pomponi nihilo plus scio, quàm tu. Nã, ut uides, nullæ omnino notæ, quibus simulachrum cognosci possit, remanserunt, Quare de eo nunc quidem

quidem arbitratu tuo existimes licet: refellere te nemo poterit. Quod si cuiuspiam illorum non fuit, quos dicis, certe fuit illa quidem effigies magni alicuius uiri. Itaque ille ob suum aliquot egregium in rempub. facinus se exculpi fecit: ut quoniam erat ipse moriturus, extaret quasi quoddam exemplum sui: in quod cum homines respexissent, aut inscriptionem legissent, bene de se loquerentur, apparetq; qualis fuisset seclis innumerabilibus. POMP. Verisimile id quidem ualde est. Quæ enim esse alia causa eius rei potest, quàm gloriæ immortalitatisq; cupiditas? Nunc autem quàm illum spes fefellerit, uides: qui si se ipse contemplaretur, credo ingemisceret, rogaretq; te ut se restitueres: quod quoniam effici nõ potest, est hoc quidem miserum, sed tamen commune illi cum multis: ex tot enim tamq; claris uiris, quorum ita crebræ imagines spectabantur, ut esse Romæ quasi alter populus lapideus uideretur, ad nostram ætatẽ suis locis ferè statuæ nullæ integræ permanserunt: auulsæ & amputatæ ita tamen, ut dignosci possit quorũ fuerint, omnino perpaucæ. Illud uero miserius, carere nos ijs, atque alijs multo illustrioribus, multoq; magnificentius, ut diuturniora essent, constructis monumentis antiquorum, non tam quidem annorum iniuria, quàm etiam negligentia Romanorum principũ, qui illa, cum sustineri aut restitui possent, neglexerunt. Itaq; nunc, ut iam statuas & signa prætermittã, tot sepulchrorum, tot theatrorum cadauera prostrata & diruta ante oculos iacent. HERM. Est sanè istud quidem uerum Pomponi, ut dicis: atq; eo etiã se res deteriore habet cõditione atq; fato, quod nõ ea modo, quæ stare adhuc potue-

rant, negliguntur, sed illa ipsa etiam, quæ stant quæq; permanent, quoniam uetustate ipsa se confici passa non sunt, datur à nostris hominibus opera, enituntur, perficiunt aliquo denique modo, ut nunc quidem permanserint ne an ceciderint, parum illorum interesse uideatur. Nam Pantheum quidem ipsum, quæ profecto ædes una omnium maxime, quoniam rotunda est, late circumstrato forò patere undiq; prospiciq; debuerat, ita paulatim domibus tabernisq; ad templi parietes exædificatis obsepierunt, ut ab Aquilone tantum nunc uix ægreq; conspiciatur. In Obeliſco illo Vaticano autem dici uix potest, quantum à Romanis hominibus offensum peccatumq; sit: qui quasi inuiderent superesse aliquod nostris temporibus opus, quod nulla ex parte annorum temporisq; diuturnitas consumpsisset, ruinis aggestis ædiculisq; constructis iam ut lateret, propemodum effecerunt. Sed hæc tamen, quoniam tantummodo oculorum oblectamenta sunt, ferenda sunt æquius. Quid illa uero Pomponi, quæ non oblectamenta modo & delectamenta, sed leuatio etiam & medicina, & quasi potus aliquis cibusq; animorum sunt, scripta uidelicet illa tot in omni quidem doctrinarum genere antiquorum hominum, uel Græcorum uel nostrorum, maxime autem poëtarũ, quæ perierunt, quomodo sunt ferenda? an non tibi longe maior iactura hæc, quàm illa lapidum & murorum uidetur?

POMP. Mihi quidem uidetur: nisi forte existimas, si Terentius & Horatius, & noster Maro, Deo aliquo iubente, ab inferis existerent, malle me illorum frontem aspicere, quàm uerba sermonesque audire. Sed tamen

Hermo

Hermolaë utinam illa tantummodo perijssent, quæ quidem iam (ut dicis) perierunt, quod est tamen ipsum per se acerbißimum. Nam propè ut signorum, ita scriptorum non parum plura amissa, quàm retenta sunt. Sed utinam illa tantummodo perijssent, ac non ij etiam Poëtæ nostri, qui habentur, quiq; permanent, mutilati decurtatiq; haberentur. Quis enim iam eorum liber (de antiquis loquor) mendis peruersionibusq; non scatet? quæ plerunq; quasi delumbant amputantq; non modo carminum numeros, orationisq; structuram, sed etiam ipsum sensum scribentis. Atque hoc quidem Hermolaë nemo te melius intelligit, cuius in Plinianis castigandis corruptis & deprauatis locis magnum nostris hominibus laborem eripuit labor. Quod si tui similes multos mortales habuissemus, næ nunc quidem ualde potius hoc modo Catulliana illa in Pelei nuptijs carmina legerentur: Catulli locus

Sancte puer curis hominum qui gaudia misces,
Quiq; regis Golgos, quiq; Idalium frondosum,
Itemq; alibi,
Nunc ô cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium Aeriosq; apertos,
Quæq; Anchona Gnidumq; harundinosam
Colis, quæq; Amathunta, quæq; Golgos:

quàm quo leguntur. Venus enim in Golgis Cypri loco colebatur: quemadmodum Pausanias in Arcadicis meminit: non autem in Colchis, ut habent codices. De eo est etiam apud Theocritum in Syracusanarum dialogo uersus: in quo Golgon numero singulari positum legitur: Golgi Cypri locus.

Quæ Golgon Regina colis Venus, Idaliumq;:

HERM. Imò enim si tui similes Pomponi essent ij, qui docti haberi cupiunt, ita legerent istos ipsos, quos affers uersus, quemadmodum tu quidem mones. Memini autem me in Lycophronis opinor Cassandra legere, Reginam Golgorum Deam, pro Venere positum, quam quidem Golgi Cypri populi colerent. Sed quid illud est, quod Aerios apertos dixisti? An non habent omnes Vrios codices, si recte memini, non Aerios? POMP. Habent Hermolaë: teq; in eo tuus memoriæ sensus nihil fallit: Sed ut ego arbitror, deprauate: quemadmodum ea, de quibus nunc quidem loquimur. Qui enim populi sint Vrij, apud quos Venus culta fuerit, equidem nescio. Si uero legas Aerios, id uerbi quam uim habeat, non erit difficillimum interpretatu. Refert enim Tacitus historiarum libro tertio, uetustissimi in Cypro delubri Veneris Paphiæ Aeriã autorem fuisse, cuius Amathus filius Veneri Amathusiæ templum & ipse condiderit. Itaque facile erit dicere, à phani nobilissimi conditore Aeria Paphios etiam Aerios appellatos, quemadmodum ab Amatho Amathusios: siue ille Aeriæ filius, siue Herculis, ut ait Stephanus, fuerit: Quare mihi quidem sic legendum uidetur. Quod autem apertos poëta dixit, planè Paphijs conuenit. Est enim Paphos ad mare aperto & aprico loco. HERM. Placet ista mihi tua loci huius lectio Catulliana Pomponi. Itaque uideo te Catulli manibus sancte apparateq; parentauisse, qui hos illi locos restitueris. Sed sequere: uideo enim te alia etiam meditari. POMP. Vere dicis tu quidem. Catullo autem litemus etiam uberius. Nam illa quoque ijsdem in nuptijs carmina hoc ego modo le

Vrij.

Aerij populi.

do legenda esse arbitror: Alius Catulli locus.

Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus & sedes defendere sueta.
Itemq;,
Vnde pater Diuum sancta cum coniuge natisq;
Aduenit cœlo, te solum Phœbe relinquens,
Vnigenamq; simul cultricem montis Itoni
Pallada,

non eo quo leguntur. Nam apud Itonum Thessaliæ urbem, quam quidem planè urbem ab Itono Bœoti filio dictam ferunt, siue tu illam Itona, siue etiam Itonem dixeris, his enim omnibus dicitur modis, Pallas templis positis colebatur Itonia dicta: eaq; templa fluuius Cuarius paulò ante quàm in Peneum influeret, adluebat: Verum ijs ex locis Bœoti, domum post Troianum bellum reuertẽtes, Coroneam Bœotiæ oppidum cum expugnauissent, Palladi & ipsi condiderunt in plano ante urbem templũ: utq; inde omnia transtulisse uiderentur, credo religione permoti, & ipsam urbem Itonũ, & Itoniam Deam: tum autem Fluuius ibi qui erat, eum Cuarium à Thessalia sumptis denominationibus appellauerũt. Hunc Alcæus Coralium, Callimachus Curalium nominat: cuius hæc sunt in Balneis de Itonia Bœotorũ Palladc carmina: quæ tibi eo etiam libentius referam, quòd est illa nuper noster Politianus interpretatus in Miscellaneis suis:

Itonum urbs.

Cuarius fluuius.

Itonia dea Pallas.

Coralius.

Curalius.

Vnam olim ô Pueræ Thebis Dea Pallas amabat
Nympham præ cunctis, quas habuit comites,
Matrem Tiresiæ: nunquamq; fuere seorsum.
Sed siue ad ueterum mœnia Thespiadum,

Siue

Siue Cheroneam, seu tenderet illa Haliarton,
Vecta iugis uisens Bœotiæ populos,
Siue Coroncam, qua pulcher odoribus halat
Lucus, & ara ipsi Curalium ad fluuium,
Sæpe illam curru secum Dea uexit eodem.

Quanquam illud miror, hoc in loco bis Coroneã posuisse Politianum, & quidem plurali numero, neque nomina discreuisse: quasi nescierit Cheroneam etiam Bœotiæ fuisse oppidum Haliarto uicinum. Nisi uero hæc fortasse nomina librariorum incuria confusa sunt, non illius: quod mihi quidem magis sit uerisimile. Verum ad nostra reItoniæ Pallades duæ. camus. Duæ igitur Itoniæ Pallades fuerunt, prior Thessalica, Bœotia posterior. Montis autem incolam pœta cum dicit, potest id quidem apte de Bœotia intelligi, propterea quod in colle fuisse Coroncam sitam locorum scriptores tradiderunt. Sed est de hac etiam Papinij in Thebaide uersus.

—Huic annue, sacro
Seu Pandionio nostras inuisere cædes
Monte uenis, siue Aonia diuertis Itone:

Bœotia, Aonia dicta. Nam Bœotia, quæ nunc est, ea prius Aonia dicebatur.

Itemq;,

Ducit Itonæos & Alalcomenæa Mineruæ
Agmina.

Neque uero existimo Hermolaë parum differens uideri tibi, Itonine, an (ut codices habent) Ithyni, uel Ithomi legatur: cum una peruerse addita literula, difficile dictu sit, quantos sæpe sensus perturbarit: quemadmodum in Ouidij locus. illis de amandi arte libris apud Ouidium si ita hos uersus

sus recitaueris, ut dicas,

Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit,
Lusa maritali Gallica ueste manus.

quod quidem habent omnes me hercule codices, ut intelligo: non modo uerum sensum, sed ne uerisimilem quidem ullum unquam elicies pœtæ. Quod si ita dixeris, Porrige & ancillæ, qua pœnas luce pependit, & quæ sequũtur, structura tibi omnis, & quasi uerborum contignatio statim patebit, ex quo etiam ipsa historia pateat, necesse est. Erat autem anAncillarum dies festus. cillarum dies festus Nonæ Iuliæ, quo die pœta donari ancillas ab amantibus dominarum præcipit: quas etiam Nonæ Caprotinæ. nonas Caprotinas appellauerunt: quoniam eo die ancillæ sub matronarum habitu Gallis hostibus deditæ ijs, qui ea tempestate Romam Atepomaro duce obsidebãt, de caprifico signo dato rempublicam bene gesserunt: quam historiam ab Aristide Milesio, rerum Italicarum scriptore, ait se Plutarchus accepisse illo in libro, quẽ is de Græcorum Romanorumq; comparationibus inscripsit. Nam quòd illos dicit Fidenates fuisse in libris Saturnaliorum Macrobius, conuenire huic loco id non potest, ut mihi quidem uidetur. Quid autem, non ne unius etiam interiectio literæ facit, ut qua de causa Horatius Apollinem AHoratij locus. gyeum dixerit, nesciatur eo uersu,

Dauniæ defende decus camenæ
Leuis Agyeu.

Agyleum enim habent codices, non Agyeum: quod quidem nomen quale sit, illi ipsi uiderint, qui sic legunt. Sunt autem (ut nosti) apud Græcos Agyei Dorico uocabulo Agyei. in coni formã desinentes columnæ, quas ante fores ædium erige

erigebant, Apollini sacræ, uel ut quidam dicunt Baccho, ut uero alij, etiam utrisq;. Sunt & Attico item ante ædium fores aræ Apollinis: quam rem Sophocles tetigit illis uersibus.

Ignibus odoris aræ Agyeæ nitent
Suffitu halantes Myrrhæ lachrymas barbaro.

Apollo Thyræus, & Agyeus dictus.

Itaque Apollinem cum Thyræum, tum etiam Agyeum uocauerunt. Sed hæ tamen peruersiones Hermolaæ ferri quidem minus moleste poterant, modo non etiam Maronem nostrum inuasissent, eiusdem modiq; infectionibus & tanquam maculis Cygnum illum Mincianum aspersissent nostrorũ longe principem, dicerem omnium, sed nolo tua nobis Græcia succenseat, qua cum mihi pertinet bellum gerendum, si hoc dixissem. Nam qui sic legunt illos uersus,

Vergilij locus.

Nunc scio quid sit Amor: duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt.

Ismarus.

haud recte legunt. Non enim est mons Ismarus inhospitalis, ut Rhodope, sed cultus: quem uitibus conserebant, neutro sæpius dictum nomine & plurali numero. Erat

Maronæa.

autem etiam urbs, quæ quidem alio nomine Maronæa appellabatur: ut illud, quod ait Duris in cotibus, neque de oppido, neque de monte uitifero posit dici. Est igitur sic legendum:

Aut Tmarus, aut Rhodope.

Tomarus, seu Tmarus.

Tmarus autem, qui etiam Tomarus dicitur, mons est

Dodone.

Dodonis asperrimus atque incultissimus, non minus quàm Rhodope Thraciæ. Tota uero etiam Epirus, in qua Dodone est,

done est, inculta & ferox semper est habita. Itaque poëta cum dixisset, Duris in cotibus illum, Aut Tmarus aut Rhodope: quoniam satis iam sibi uidebatur Amoris sæuitiam duorum montium asperitate probauisse, probat denuo à loci longinquitate: infertq;, Aut extremi Garamantes, & quæ sequuntur. Quanquam etiam enumeratio ipsa duorum montium diuersis in regionibus positorum elucere mihi quidem magis uidetur, atque splendescere, quàm si de positis una in Thracia dixisset. Versus quoque & cultior est & sanè hilarior: in quo tergregantis illa uox AVT dicitur. Sed næ ego imprudens, qui hæc tecum: cuius tu generis omnia multò melius dispicis, quàm ego. Et fortasse tibi otium à tua philosophia non est, quod his impendas. HERM. Mihi uero est: atque haud scio an etiam sit hoc ipsum philosophari. Quid est enim magis philosophi, quàm perscrutari ueritatem? Quacunque in re autem, qua de agatur, quid sit uerissimum, scire, mea quidem sententia pulcherrimum semper fuit. Itaque ille grauissimus philosophandi autor & magister Plato, dum in eo libro, in quo de recta nominum ratione disputat, istud ipsum perquirit. Homerica illa non modo Agamemnonis, Oresis, Astyanactis, Hectoris, sed etiam Xanthi & Scamandri nomina ambitiose minutissimeq; interpretatur. Quare non est cur me pœniteat, cum de peruersis poëtarum sensibus locisq; disseratur, ista etiam audire, de te præsertim, cuius ex ore nihil non melle dulcius fluere, nihil excidere non decorum potest. Sequere igitur, ac Maronem nostrum, si quid ex illo aliud, quemadmodum ex hac hominis

minis figura multa, tempus uetustas q; consumpsit, perge restituere quantum potes. Nam de Tmaro mihi quidem perplacent quæ dixisti. Sed uelim scire ex te, unde tibi illud suboluerit: An tu fortasse antiquum aliquem legisti librum Vergilianum, in quo ita sit scriptum? POMP. Legi sanè, ac perantiquum quidem, apud meq; habco, ut si tu mihi parum adhibeas fidem, ille te posit cogere, cum inspexeris, ut mihi prorsus assentiare. Qui quidem quanquam liber ipse quoque truncus mutilatusq; sit, quippe, cui præter iuuenilis ludi libellum, & illos Bucolicorum sermones decem, & Georgicorum primi libri partem, nihil omnino supereſt: habet tamen non paucos recte scriptos locos quibus delectere: quos tibi, ut postulas, explicabo (mandaui enim memoriæ) non oratione illa quidem dulci ac decora, quam dicis, in quo summus erga me amor tuus te mehercule decipit: sed planè uera. Non tamen prius id faciam, quàm tu etiam te receperis, explanaturũ mihi eos locos, quos ut intelligo habes permultos in Terẽtij tui fabulis longè ac passim habeantur, secus. HERM. Faciam, ut iubes, Pomponi: cogis enim iam tu me: qui mihi audiendi tui conditionem istam imponis. Itaque amœbæum (ut uideo) conficiemus.

Iuuenilis ludus Vergilij.

Sed quid illud libri est, quem tu iuuenilem ludum appellas? ego enim me istoc nomine Vergilij librum legere nunquam memini. Nisi tu forte eum librum dicis, quem is de Culice perscripsit: constat enim ipsum admodũ iuuenem illa carmina conscripsisse. POMP. Pars illa quidem sunt portioq; eius libri, quem dico. Nam ut Homeri (quẽadmodũ accepimus) nõ Batrachomyomachia solum

Homeri ludicra.

opus

solum opus ludicrum & iuuenile est, sed alia quoq; permulta, Phocais, Cercopes, Epiciclides Margitis, Amphiaraus, Caminus, pusillaq; altera Ilias, quam sic incepit:

Dardaniam Troiamq; cano, quam plurima circum
Perpessi Danai duro gens aspera bello:

Ita Maronis nostri præter Culicem hi etiam sunt ludentis adolescentiæ quasi partus, Diræ, Copa, Est non est. Vir bonus, Moretum, Rosæ: quæ omnia librũ hunc conficiunt iuuenilis ludi, quem dico. Ea est enim eius libri inscriptio: quo magis assentior ijs, qui Priapeorum librum esse Virgilij non putant. Quid est enim magis ludicrum, quàm illa carmina: in eo tamen septo & quasi cauea Virgilij ludorum, illa nõ sunt: quanquam quidẽ huius etiam semper rei maximum mihi uideri argumentum solet Virgiliana uerecundia. Itaque magis audiendi sunt ij, qui omnino à compluribus uno tempore poëtis, inter seq; familiaribus, ioci gratia compositos fuisse illos uersus existimant: quorum quidẽ cum Nasoni magnam partem tribuant, quia is Virgilio familiaris non fuit, negant Virgilij esse ullum in eo libro uersum: qua in sententia me Bernardi Bembi uestri, hominis mihi amicissimi etiam autoritas confirmauit, dum is non multis antete annis hac in urbe pro uestra rep. esset legatus. Nam cum in hunc ferè sermonem incidissemus, diceretq; nihil esse eius libri autoribus incertius, nihil obscurius, unius epigrammatis testimonium attulit, quod quidem me iuuene nõ habebatur: affirmauitq; sese illud primum omnium inuenisse uir grauissimus in Patauino quodam sacello, lapide extra urbem tertio, si recte memoria teneo, in antiquo marmore incisum,

Priapea non Vergilij, sed cõpluriũ poëtarum.

obrutumq; ruderibus abiecto loco. Idq; fuisse postea temere Priapeorum carminibus pro Virgiliano ab impressoribus, cupidis illis quidem fortasse uiris ditandi augendiq; rem literariam copia numeroq; librorum, sed planè cum indoctis, tum etiam indiligentibus: nam peruerse trãstulerunt. Quod si eã quoq; Hermolaë, quæ nostra ætate inuenta sunt, quæq; habemus ipsi ante oculos, deprauari nobis sentientibus, peruertiq; uidemus, non est iam profecto mirum, si quæ in lucem multis ante nos seculis prodiere, ea confusa sunt illusionibus intolerabilibus.

HERM. Nihil omnino id quidem Pomponi mirum. Sed uelim uersus illos recenseas, quos dicis. Nam & ipse Bernardum Bembum amo, & ille me. Eius autẽ Petrus Bembus filius mihi etiam secundum patrem plurimum tribuit. Sed Bembus quidem pater dum crebris ac prope continuatis legationibus fungitur, à patria abfuit permultos annos: cuius filius ex quo ingredi cepit, ferè semper cum illo fuit. Ego autem non multum sanè temporis domi uel in otio uel in negotio consumpsi. Itaq; effectum est ut beniuolentiæ nostræ fructum præsentes adhuc ferè nullum perciperemus: unà enim non multũ sæpe fuimus: absentes & illi me omni officiorũ genere, & ego illos sum prosequutus. Quamobrem nihil miror te ab homine mihi coniunctissimo ea accepisse, quæ ego nunquam acceperim: neq; enim antehac quicquam horum audiui, quæ dicis. Fac igitur nunc de te illos uersus audiam, quos memoras, si tibi uidetur. POMP. Tu uero audi: sunt enim hi:

Aerarij quondam custos, nunc cultor agelli,
Hæc tibi Perspectus templa Priape dico.

Pro

Pro quibus officieis, si fas est, Sancte paciscor,
Adsiduus custos ruris ut esse uelis:
Improbus ut si quis nostrum uiolarit agellum,
Hunc tu, sed tento: scis puto, quod sequitur.

Quo quidem in epigrammate officieis pro eo, quod nos officijs dicimus, Nigidiana illa regula, de qua meminit Gellius, antique est in ipso marmore inscriptum. Sed hæc alias. Nunc ut ad poëtæ locos ueniam. Sunt in Rosis hi uersus:

Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.

Quos cum legerent maiores nostri, & die pro eo casu nominis, qui est ultimus, accepissent, omnia confuderunt, scripserunt que, quod quidem multis in libris legi.

Ad prima radios interitura die.

Est autem Die secundus casus antique dictus: ut idem in Georgicis, Libra die somniq; pares ubi fecerit horas: & in Aeneide Munera lætitiamq; die. Quanquam in altero dicat Gellius scripsisse Virgilium Dies, in altero autem Dij, ut uterque secundus casus sit perueteri regula, quam postea usus abrogauit. Præterea sunt in Copa hæc carmina. Die genitiuo casu.

Eia age pampinea fessus requiesce sub umbra,
Et grauidum roseo necte caput strophio,
Candida formosæ decerpens ora puellæ:
Ah pereant, cui sunt prisca supercilia.
Quid cineri ingrato seruas bene olentia serta?
An ne coronato uis lapide ista tegi?

Pone merum & talos: pereat, qui crastina curat.
Mors aurem uellens, uiuite, ait, uenio,
Quibus autem in uerbis reliqui peccent libri, ne singula persequar, per te ipse licebit sumptis exemplaribus perspicias, Itaque ad tuos te reijciam libros: eos tu uidebis, cum uoles. Sed quod hic poëta uellere aurem dixit, postea in Bucolicorum transtulit libros.

—Cynthius aurem
Vellit, & admonuit, pastorem Tityre pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.

Sunt in Viro bono hæc:

Vir bonus & sapiens, qualem uix repperit unum
Milibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem:
Quid proceres, uaniq; ferat quid opinio uulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus,
Externæ nequid labis per leuia sidat.

Cui perquam simile est illud Horatianum: ut iam nõ modo sensum ordinemq; sententiæ, sed ipsa etiam Virgilij uerba uideatur Horatius transtulisse in sermones suos:

Fortis & in se ipso totus teres atque rotundus,
Externi ne quid ualeat per leue morari:

Sunt in Diris hæc.

Flectite currentes lymphas uaga flumina retro,
Flectite, & aduersis rursum diffundite campis:
Incurrant amnes passim remeantibus undis:
Nec nostros seruire sinant erroribus agros.

Sunt præterea hæc.

Pulcius hoc memini reuocasti Battare carmen

Emanent

Emanent subitõ sicca tellure paludes:
Et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim.

quo in loco quia reliqui omnes libri ita habent scriptum hunc uersum, ut de reliquis taceam, Et metat hic miles spicas ubi legimus olim, Vides ne Hermolaë, quàm leui sæpe de causa pulcherrimi poëtarum sensus deturpentur? HERM. Quo nam hoc inquis modo? POMP. Vt uidelicet, quoniam erat in ueteribus exemplaribus (quem admodum mihi uidere uideor) ita hæc lexis MILES adscripta, ut esset extra uersum tanquam interpretatio illius pronominis HIC, ne pro aduerbio reciperetur, non doctorum librariorum aliquis, quorum me hercule magna quidem copia semper fuit, mendum ratus uersum ipsum peruerterit eo, quo tibi dixi, modo: qui quidẽ passim error in eos, qui habentur, postea codices emanarit: an nõ tibi ita uidetur? HERM. Mihi quidem Pomponi uidetur: ac mirum dictu est, quàm multis in locis deprehenderim ea, quæ necesse est in librorum marginibus alicuius rei causa ueluti notas à perlegentibus fuisse conscripta, intra legitimum postea ordinem, & quasi certum orationis atrium recepta ab his, qui descripserunt: deinceps nõ suo in loco diutius, quàm opus erat, permansisse. Itaq; perge ad reliqua. POMP. Ego uero pergam, eoq; libentius: quo me uideo unius etiam amissi uersus instauratione eius libelli mœrorem consolaturũ. Nam ubi illa sunt carmina:

Dulcia amara prius fient, & mollia dura:
Candida nigra oculi cernent, & dextera læua,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quàm tua de nostris emigret cura medullis:

Quanuis ignis eris, quanuis aqua, semper amabo:
Gaudia semper enim tua me meminisse iuuabit.

Ille uersus Quanuis ignis eris quanuis aqua, in libris reliquis non habetur. Sed hæc leuia: Illa aliquanto grauiora: quæ Culicem penè totum infecerunt. Nam (ut quidem se habent ij, qui leguntur,) ita sunt libri pleni mendis, ut iam ne legantur quidem. HERM. Animaduerti equidem Pomponi, cum adolescens haberem illum librum in manibus, permultos esse uersus, in quibus hærerem, tanquã in salebris: offendebar enim non tam mehercule uel difficultate sensuum, uel historiarũ obscuritate, quarũ mihi neutra eiusmodi prope esse uidebatur, ut percipi non posset, si quid lateret, quàm certe illis ipsis aut puerse scriptis, aut planè etiã deficientibus exemplariũ locis. Itaq; mihi gratissimum feceris, si non eo modo, quo ista nunc à te dicta sunt, etiam culicẽ ipsum explicabis: tetigisti enim tantum modo carptim mẽbratimq; quosdã locos: quod abs te tamen ideo factum existimo, quia eorũ opusculorum minus multæ peruersiones deprehenduntur: sed si mihi ordine totam carminum seriẽ syluamq; recensebis. Nam nec ualde multa sunt, & sumus, ut uides, otiosi: modo tu illa memoria teneas. POMP. Ego uero nunc quidẽ teneam'ne memoria eum librũ, an non, haud satis scio: tenere alias certe me memini, Recensebo autẽ ordine si potero singula, ut postulas Hermolaë: uideo enim eo te nunc studio libenter teneri, quo ego sæpe detineor, ut Maronianũ uersum aliquem iacere ne sinamus: qui quidẽ legentem facile sequuntur singuli, modo ne tanquam ferreis manicis, sic indoctorum hominũ erratis implicẽtur. Itaq; cũ illo sic incipiam:

Lusimus

Lusimus Octaui gracili modulante Thalia,
Atque ut araneoli tenuem formauimus orsum:
Lusimus, hæc propter culicis sint carmina dicta:
Omnis & historiæ per ludum consonet ordo,
Notitiæq; ducum uoces: licet inuidus adsit,
Quisquis erit, culpare iocos musamq; paratus,
Pondere uel culicis leuior famaq; feretur.
Posterius grauiore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Quid autem ô Hermolaë, non'ne tibi satis apte uidetur Virgilius his uersibus & proposuisse Augusto, quid sit scripturus, & causas cur ita scribat, attulisse? Nam quod ait culicis carmina, & historiæ ordinem, & notitiæ ducum uoces, totum opus complexus est: quod autem & Thaliam gracilem, & araneoli orsum dicit, duas afferre ille mihi uidetur rationes, cur luserit: quia enim erat ipse adolescens, suas in poëticis studijs uires graciles dicit: quod uero tunc primum Augustum alloquebatur, suam hanc inceptionem quasi araneoli orsum appellat scite mehercule, nisi me amor fallit, Nam & texere poëtæ dicuntur, cum scribunt, quod araneorum est: & à materia non discedit, qua de se scripturum pollicetur. Itaq; ait PROPTER HAEC: hoc est & quia Thalia nostra gracilis est, & quia nunc primum ad te scribimus, carmina culicis & quæ sequũtur, sunt illa quidem per ludum dicta hoc tempore: nam

Posterius grauiore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus:

Vt tibi digna tuo poliantur carmina ſenſu.
An tibi hæc probantur, quæ dico? HERM. Mihi quidem probantur. Quin etiam propterea illum exiſtimo Thaliam potius, quàm aut Calliopen aut Melpomenen aut Polymniam aut aliud omnino Muſæ nomẽ poſuiſſe: ut latenter ſuam non adultam iam confirmataḿue poëtices facultatem, ſed planè ſurgentem creſcentemq́; innueret: ſurgere enim & creſcere & pullulare, ut ſcis, eo Græci uerbo dicunt, à quo eſt quidẽ Thaliæ inditum uni ex nouem Muſis nomen. POMP. Recte quidem exiſtimas Hermolaë: quid enim tu non recte? Itaq; perge me adiuuare iſto modo ſæpius: ſic enim melius id, quod uolumus, aſſequemur. Ea uero, quæ ſequuntur, hæc ſunt:

Latonæ magniq́; decus Iouis aurea proles
Phœbus erit noſtri princeps & carminis autor,
Et recinente lyra fautor: ſiue educat illum
Alma Chimeræo Xanthus perfuſa liquore,
Seu nemus Aſteriæ, ſeu qua Parnaſia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte:
Caſtaliæq́; ſonans liquido pede labitur unda.

Xanthus & ciuitas & fluuius.

Erat autem Xanthus (ut ſcis) Lyciæ ciuitas apud Chimæram conuallem in Xanthi fluminis eiuſdem nominis ripa Pataræ urbi per quàm uicina, qua in urbe Apollo colebatur. Nomen uero pro nomine hoc in loco Virgilius conſuetiſſima poëtarum licentia poſuit. Itaq; Apollinem inuocat tribus ex celeberrimis locis Patara, Delo, Parnaſo. Te uero iterum admonitum uolo Hermolaë, ut ad tuos tereras libros: ſi, quot in locis noſtra hæc à communibus exemplaribus receſſerint, uolueris inſpicere.

Quare

Quare Pierij laticis decus ite ſorores
Naiades, & celebrate Deam plaudente chorea.
Et tibi ſancta Pales, ad quam uentura recurrit
Agreſtum bona cura, ſequi ſit cura tenentis
Aërios nemorum tractus ſyluasq́; uirenteis:
Te cultrice uagus ſaltus feror inter & aſtra.
Hic Palem qua de cauſa poëta inuocet, non eſt iam quærendum, agrorum uidelicet & ſaltuum & nemorum & pecorum & paſtorum Deam: eſt enim eadem & Veſta, quam ipſam eſſe terram crediderunt. Quamobrem qui Tibullianos illos uerſus ita legunt,

Pales dea. Veſta. Tibullilocus.

Vos celebrem cantate Deam, pecoriq́; uocate
Voce Palem.

eo errore lapſos puto, quod planè nõ me hercule Cupido agrorum Deus dicitur, ſed Pales: qui quidẽ tamen uerſus (quemadmodum te ſcire arbitror) ita ſunt ipſi legendi:

Vos celebrem cantate Deum, pecoriq́; uocate,
Voce palam pecori, clam ſibi quiſque uocet:
Aut etiam ſibi quiſque palam: nam turba iocoſa
Obſtrepit, & Phrygio tibia curua ſono.

Nam quoniam dixerat poëta Cupidinem in agris natum, inuocari etiam illum ab agricolis tanquam eorum Deum præcipit: de agreſtibus enim loquebatur Dijs. Palam autem dicit & clam, ſumpta (ut mihi quidem uidetur) ea figura dicendi ab Homero, ubi ille ſub Aiacis nomine cum Hectore decertaturi hæc dicit:

Cupido cur agricolis inuocetur.

Martia quin ego dum interea circum induor arma,
Vos orate Iouem taciti, ne ſentiat hoſtis,
Adiuuet ut noſtri Saturnius orſa laboris:

Siue orate palam potius: neque enim horreo quenquam.
Sed nos ad Maronem nostrum reuertamur, qui quidem
sic continuat culicem suum.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis
Octaui uenerande meis adlabere ceptis,
Sancte puer: tibi nanque canit non pagina bellum,
Phlegra Gyganteo sparsa est quo sanguine tellus,
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses:
Vrit Erichthonias oriens non ignibus arces:
Non perfossus Athos, nec magno uincula ponto
Iacta, meo quærent iam sera uolumine famam,
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia cum timuit uenientis undique Persas.
Mollia sed tenui pede currere carmina uersu
Viribus apta suis Phœbo duce ludere gaudet.

Ecce autem dum se dicit currere carmina molli pede Virgilius, non ne tibi etiã currere ipsemet uersus uidetur & quidem molliter? Nam cum est ex dactylis totus confectus, quibus nihil potest esse in heroico celerius, tum habet permultas syllabas, in quibus nihil inest asperũ nihil durum. Itaq; hac figura dicendi quia est in Aeneide usus pluribus locis, cum &, Procumbit humi bos, dixerit: &, Ruit oceano nox: &, Conuulsum remis rostrisq; tridentibus æquor: quos quidẽ plane uersus ruere, procumbere, cõuelli nõ minus uideri uoluit, quàm illas ipsas res, de quibus loquebatur: negari eã nõ potest iã, ab ipso culice tanto antea fuisse illum auspicatũ. Sed pergamus ad reliqua:
Et tu sancte Puer uenerabilis: & tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per æuum:

Et tibi

Et tibi sede pia maneat locus: & tibi sospes
Debita felicis memoretur uita per annos,
Grata bonis lucens: Sed nos ad cepta feramur.
Igneus ætherias iam sol penetrarat in arces,
Candidaq; aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roseis tenebras Aurora fugarat.
Propulit è stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, & excelsi montis iuga summa petiuit,
Lurida qua patulos uelabant gramina colles.
Iam syluis dumisq; uagæ, iam uallibus abdunt
Corpora, iamq; omni celeres è parte uagantes
Scrupea desertæ perrepunt ad caua rupis.
Tondentur tenero uiridantia gramina morsu,
Pendula proiectis carpuntur & arbuta ramis:
Densaq; uirgultis auide Labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, uel quæ noua nascitur alnus,
Hæc teneras fruticum sentes rimatur: at illa
Imminet in riui præstantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, & probet illis
Omnia (luxuriæ pretijs) incognita curis,
Quæ lacerant auidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data uellera: si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit auarum:
Picturæq; decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent Boetiq; toreuma: nec Indi

Conchea

Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cum tellus gemmantis picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arua:
Atque illum calamo lætum recanente palustri,
Otiaq; inuidia degentem ac fraude remota,
Pollentemq; sibi uiridi cum palmite lucens
Vitea pampineo subter coma uelat amictu.
Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ,
Et nemus & fœcunda Pales, & uallibus imis
Semper opaca nouis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior æuo,
Quàm qui mente procul pura sensuq; probando
Non auidas agnouit opes, non tristia bella,
Nec funesta tumet ualidæ certamina classis?
Non, spolijs dum sancta Deum fulgentibus ornet
Templa, uel euectus finem transcendat habendi:
Aduersum sæuis ultro caput hostibus offert.
Illi falce Deus colitur non arte politus:
Ille colit lucos: illi Panchaiaca thura
Floribus agrestes herbæ uariantibus adsunt.
Illi dulcis adest requies, & pura uoluptas
Libera simplicibus curis: huc imminet omnis
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie uictu contentus abundet,
Iocundoq; locet languentia corpora somno.
O pecudes, ô Panes, & ô gratissima tempe
Fontis Amadryadum: quarum non diuite cultu
Aemulus Ascræo pastor sibi quisque poëtæ

Securam

Securam placido traducit pectore uitam.
Hanc uero pastoralis uitæ laudationem Vergilius, quam uides, quamq; à Lucretio sumpsisse illum ferè mihi persuadeo, in Georgicis quidem postea cultius, sed eadem tamen omnino pertractauit uia: ut uideri possit, cum in opere illo quidem omniū probatissimo emendatissimoq; translata multa de hoc ipso reliquerit, fuisse in hoc etiam, sibi quæ probarentur, iniuriamq; nobis fecisse tempora, quæ iterum ipsum culicem quasi coutriuere. Sed hæc alias: nunc quæ sequuntur.
Talibus in studijs baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, & dum non arte canora
Compacta solidum modulatur harundine carmen,
Tendit in euectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaq; ætherio ponit discrimina mundo,
Qua iacit oceanum flammas in utrunque rapaces,
Et iam compellente uagæ pastore capellæ
Ima susurrantis repetebant ad uada lymphæ,
Quæ subter uiridem residebant cærula muscum.
Iam medias operum partes euectus erat Sol,
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Vt procul aspexit luco residere uirenti
Delia Diua tuo, quo quondam uicta furore
Venit Nyctileum fugiens Cadmeis Agaue
Infandas scelerata manus è cæde cruenta:
Quæ gelidis bacchata iugis requieuit in antro
Posterius pœnam nati se morte futuram.
Hic etiam uiridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri, Dryadesq; choros egere puellæ

Naiadum

Naiadum cœtu: tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis ſyluaſq; canendo,
Quantum te Peneu remorantem dia chorea
Multa tibi læto fundentes gaudia ultu:
Ipſa loci natura domum reſonante ſuſurro
Quîs dabat, & dulci feſſas refouebat in umbra.
Nam primum prona ſurgebant ualle patentes
Aëriæ platanus: inter quas impia lothos,
Impia, quæ ſocios Ithaci mœrentis abegit,
Hoſpita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At quibus inſigni curru proiectus equorum
Ambuſtos Phaëton luctu mutauerat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis uelamina ramis.
Poſterius cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala perfida multis.

Verſus uero, qui hos in omnibus exemplaribus ſequitur,

Perfide Demophoon & nunc defende puellam:

In meo uetuſtiſſimo non habetur. Itaque quemadmodum Aquilas, cum experiri uolunt pullos ſuos, quicunque ſolis radios acie oculorum perferunt, eos adhibere aiunt curam ut nutriant, educentq; pro ſuis: qui autem non perferunt, illos eijcere ab earum nidis, tanquam nothos, ferunt: Ita nos eum uerſum, qui quidem iam illius noſtri libri ueritatem ſplendoremq; reformidat, ex Maroniano eo nidulo tanquam ſuppoſitum (ſi tibi uidetur) eijciamus. Neque enim prorſus uel ad fabulæ ſenſum atque ordinem, uel ad carminum ſtructuram quicquam facit: quam

quam etiam impedit potius, frangitq; quoquomodo, quod ipſum tamen apparebit latius, cum ad hæc reſpexeris, quæ ſequuntur:

Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datæ, Cereris quàm ſemina uitæ?
Illas Triptolemi mutauit ſulcus ariſtis.
Hic magnum Argoæ naui decus edita pinus
Proceras decorat ſyluas hirſuta per artus.
Appetit aërijs contingere montibus aſtra
Ilicis & nigræ ſpecies, & læta Cupreſſus:
Vmbroſæq; manent fagus, Hederæq; ligantis
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus:
Ipſæq; excedunt ad ſumma cacumina lentæ,
Pinguntq; aureolos uiridi pallore corymbos:
Quis aderat ueteris Myrtus non neſcia fati.

HERM. Sed retine te hoc loco Pomponi. Cupio autẽ ſcire ab hoc Phædro (nã à te ſatis multa didici,) cur Virgilius ueteris fati myrtũ conſciã dixerit. Itaq; ſiquid habes Phædre, explica. Te uero habere aliquid, etiam ſi ingeniũ illud elegans, alacre, floridum, ſcatens undiq; ignorarem tuum, tamen quia hunc ſectaris, mihi quidem eſſet exploratum ſatis. Quamobrem loquere: audire enim te nunc uolo, qui quidem ſiluiſti tandiu. PHAED. Ego uero Hermolaë, ſi id ita eſſet, ut uideris ipſe exiſtimare, amas enim hunc meum magiſtrum Pomponium, ſed nõ magis, quàm ille te, haberemq; aliquid, quod tibi afferrem hoc, quo me appellas, loco: quanquam uobis præſentibus nihil tam me dedecet, quàm omnino loqui: promerẽ quidẽ certe quicquid id eſſet, mallẽq; tuæ uolũtatis, quàm meæ uerecũdiæ

habere

habere rationem. Nunc autem, cum nihil habeam, peto à te Pomponi, ut illi respondeas: decet enim magistrum sæpenumero discipuli causam sustinentem respondere.

POMP. Imò enim potius & ego & tu illum rogemus Phædre, ut sibi ipse respondeat: nam quis hoc facere melius illo potest? Itaque te cum pro me, tum pro hoc rogo Hermolaë, ut proferas, quæ habes: habere autem te certe aliquid existimo etiam præter ea, quæ de Helpenoris tumulo circunferuntur: nam de his poposcisse te nihil puto, quæ sunt etiam populo notissima. HERM. Recte putas, de ijs enim nihil poposcram, quanquam non sunt illa quidem spernenda. Sed quoniam ita uultis, referam non iam tibi (neque enim tecum nunc ago Pomponi) sed omnino isti Heronis, si recte memini, fabellam: quæ quidem modo mihi, cum tu illum uersum recitares, redijt in mentem. Ait enim in Georgicis suis, quæ quidem Græco sermone conscripsit, fuisse olim Athenis uirginem Myrsinem nomine cum puellas reliquas pulchritudine, tum certè robore omnes iuuenes superantem: itaque à Pallade peramabatur: erat autem illa in palestris stadijsq; ferè semper, coronare etiam illos solita, qui uicissent. Sed cum inuidia quidam iuuenes afficerentur, sese ab illa certaminibus superatos, puellam interfecerunt: Mineruæ autem desyderium non restinxerunt. Manet enim illa Deæ, quemadmodum olea familiaris in arborem mutata sui nominis: ita enim (ut scis) Græci Myrtum dicunt. Tu autem Phædre ecquid hæc ad illum locum faciant, postea uideris: Nunc uero, cum nihil afferre uis de tuo, sinamus pergat Pomponius ad ea quæ sequuntur. Itaque Pomponi

sequere:

sequere: mauult enim iste te, quàm me, ut uideo, audire.

POMP. Non est ita Hermolae: nam te quidem Phædrus non planè minus audit libenter, quàm ego. Sed dabimus uterque operam, ut tibi mos geratur. Itaque attende ad reliqua.

At uolucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per uarios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans è fontibus unda,
Quæ leuibus placidum riuis sonat orta liquorem:
Et quanquam geminas auium uox obstrepit aures,
Hac querulæ referunt uoces, quis nantia limo
Corpora lympha fouet: sonitus alit aëris Echo:
Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessæ cubuere capellæ,
Excelsisq; super dumis, quos leniter adflans
Aura susurrantis posit confundere uenti.
Pastor ut ad fontem densa requieuit in umbra,
Mitem concepit proiectus membra soporem.
Anxius insidijs nullis: sed lentus in hærbis
Securo pressos somno mandauerat artus.
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni fors incertos iussisset ducere casus.
Nam solitum uoluens ad tempus tractibus ijsdem
Immanis uario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret æstu,
Obuia uibranti carpens grauis aëra lingua
Squamosos late torquebat motibus orbes.
Tollebant auræ uenientis ad omnia uisus.
Iam magis atque magis corpus reuolubile uoluens

Attollit nitidis pectus fulgoribus, & se
Sublimi ceruice rapit, cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu:
Aspectuq; micant flammantia lumina toruo.
Metabat sese circum loca, cum uidet ingens
Aduersum recubare ducem gregis: acrior instat
Lumina diffundens intendere, & obuia toruo
Sæpius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad uada uenisset: naturæ comparat arma:
Ardet mente: furit stridoribus: intonat ore:
Flexibus euersis torquetur corporis orbis:
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ:
Spiritibus rumpit fauces: cui cuncta paranti
Paruulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem uitare monet per acumina: nanque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac sæuioris erat naturæ pupula telo
Icta leui: cum prosiluit furibundus, & illum
Obtritum morti misit: cui dissitus omnis
Spiritus excesſit sensus: tum torua tenentem
Lumina respexit serpentem cominus: inde
Impiger exanimus uix compos mente refugit:
Et ualidum dextra truncum detraxit ab orno:
Qui casus sociaret opem, numen ue Deorum.
Nanque illi dederit ne uiam casus ue Deus ue,
Prodere sit dubium: uoluit sed uincere tales,
Horrida squamosi uoluentia membra draconis
Atque reluctantis crebris fœdeq; petentis
Ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristam,

Et quod

Et quod erat tardus, omni languore remoto,
Nescius, aspiciens, timor obcæcauerat artus.
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam uidit cæsum languescere, sedit.
Sed ego hoc loco errata Hermolaë explicare tibi singula
non insisto aliorũ librorum: facies id quidem (ut sæpe iam
dixi) per te ipse, cũ uoles: atq; ut facias, uehementer te ro
go, non enim commutata uerba tantummodo, interseq; nõ
cohærentia, sed etiam præteritum inuenies integrum uer
sum, eumq;, quem quidem præteriti minime oportuit, mi=
nimeq; opus fuit. Interea quæ supersunt conficiamus.
Iam quatit, & bijuges oriens Herebo cit equos nox,
Et piger aurata procedit uesper ab Oeta,
Cum grege compulso pastor duplicantibus umbris
Vadit, & in fessos requiem dare comparat artus:
Cuius ut intrauit leuior per corpora somnus,
Languidaq; effuso requierunt membra sopore,
Effigies ad eum culicis deuenit, & illi
Tristis ab euentu cecinit conuitia mortis.
Inquit, quid meritus ad quæ delatus acerbas
Cogor adire uices? tua dum mi carior ipsa
Vita fuit, uita, rapior per inania uentis:
Tu lentus refoues iocunda membra quiete
Ereptus tetris è cladibus: at mea manes
Viscera lethæas cogunt transnare per undas:
Præda Charonis agor. Viden, ut flagrantia tædis
Lumina conlucent infestis omnia templis?
Obuia Tisiphone serpentibus undique compta
Et flammas & sæua quatit mihi uerbera pœnæ:

Cerberus & diris flagrant latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineiq; micant ardorem luminis orbes.
Hæu quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis læti iam limine ab ipso?
Præmia sunt pietatis ubi? pietatis honores
In uanas abiere uices, & rure recessit
Iustitiæ prior illa fides: instantia uidi
Alterius sine respectu mea fata relinquens.
Ad pariles agor euentus: fit pœna merenti:
Pœna fit exitium: modo sit dum grata uoluntas,
Existat par officium. Feror auia carpens
Auia Cymerios inter distantia lucos.

Lucos autem Cymerios sumpta ab Homero fabula dixit: qui cum sciret Cymerios Septentrionis populos subterraneis domicilijs habitantes ita uiuere, ut more patrio aspicere nemo Solem posset, eos apud inferos finxit esse. Itaq; ut alia eius poëtæ multa, sic est hoc Maro noster mutuatus. Sed ad reliqua.

Quem circa tristes densentur in omnia pœnæ:
Nam uinctus sedet immanis serpentibus Othos
Deiectum mœstus procul aspiciens Ephialtem,
Conati quondam cum sint incendere mundum:
Et Tityos Latona tuæ memor anxius iræ
(Implacabilis ira nimis) iacet alitis esca.
Terreor à tantis insistere, terreor umbris
Ad stygias reuocatus aquas: uix ultimus amni
Restat, nectareas Diuum qui prodidit escas,
Gutturis arenti reuolutus in omnia sensu.

Quid,

Quid, saxum procul aduerso qui monte reuoluit,
Contempsisse dolor quem numina uincit acerbus
Otia quærentem frustra? Vos ite puellæ,
Ite, quibus tædas accendit tristis Erynnis,
Sicut hymen præfata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas
Impietate fera uecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem uulnera natis:
Iam Pandionias miseranda prole puellas,
Quarum uox Ityn & Ityn, quod Bistonius rex
Orbus Epops mœret uolucres euectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Iam truculenta ferunt infestaq; uulnera corpus
Alter in alterius, iamq; auersatus uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Eheu mutandus nunquam labor: auferor ultra
In diuersa magis: distantia numina cerno:
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obuia Persephone comites Heroidas urget
Aduersas perferre faces. Alcestis ab omni
Inuiolata uacat cura: quod sæua mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.

Sed est Hermolaë planè mirum, in his uersibus quàm peruerse multa legantur. Nam præter eos, ubi de Belidibus Poëta deq; Ity mentionem facit, hi ipsi de Alcestide ita sunt immutati spectanturq; alia facie reliquis in libris, ac uisuntur in nostro, ut uerear, si librum illum tibi legendum agnoscendumque non præbuero, ne existimes hæc me inuenisse de meo, quanquam quidem non multo

ſanè minus peccatum erratumq; eſſe in ijs etiam deprehendes, quæ ſequuntur.

Ecce Ithaci coniunx ſemper decus Icariotis
Fœmineum incorrupta decus manet: & procul illam
Turba ferox iuuenum telis confixa procorum.
Qui miſera Euridice tanto mœrore receſſit,
Pœnaq; reſpectus, & nunc manet Orpheus in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen,
Nec timuit Phlegethonta fiorentem ardentibus undis,
Nec mœſta obtentu diro & ferrugine regna,
Defoſſasq; domos, ac Tartara nocte cruenta
Obſita, nec faciles Ditis ſine iudice ſedes,
Iudice, qui uitæ poſt mortem uindicat acta:
Sed fortuna ualens audacem fecerat Orphea.
Iam rapidi ſteterant amnes, & turba ferarum
Blanda uoce ſequax regionem inſederat Orphei:
Iamq; imam uiridi radicem mouerat alte
Quercus humo, ſteterantq; amnes, ſyluæq; ſonoræ
Sponte ſua cantus rapiebant cortice auara:
Labentes bijuges etiam per ſydera Luna
Preſſit equos: & tu currentis menſtrua Virgo
Auditura lyram tenuiſti nocte relicta.
Hæc eadem potuit Ditis te uincere Coniunx,
Eurydicenq; ultro ducendam reddere, non fas,
Non erat inuitam Diuæ exorabile numen.
Illa quidem nimium manes experta ſeueros
Præceptum ſignabat iter, nec rettulit intus
Lumina, nec Diuæ corrupit munera lingua.

Sed tu

Sed tu crudelis, crudelis tu magis Orpheu
Oſcula cara petens rupiſti iuſſa Deorum:
Dignus Amor uenia, paruum ſi Tartara noſſent
Peccatum ignouiſſe:

Nunc autem ô Hermolaë (iuuat enim ſic me appellare te ſæpius) an non tibi etiam quemadmodum mihi, hanc quoque de Orpheo mentionem fabulæq; narrationem ſatis multis carminibus explicatam, quam recenſui, ferè uniuerſam tranſtuliſſe Virgilius in illos ipſos Georgicorũ, nunquam quidem ſatis laudatos, libros uidetur, quãquam ordine alio uerborum ac uia? Nam quod hic ait, Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam Credidit, aut ulli Ditis placabile numen, Nec timuit Phlegethonta fiorentem ardentibus undis, Nec mœſta obtentu diro & ferrugine regna, Defoſſasq; domos, ac Tartara nocte cruenta Obſita: ibi (ſi recte memini) poſtea dixit, Tenareas etiam fauces alta hoſtia Ditis, Et caligantem nigra formidine lucum Ingreſſus, manesq; adijt, regemq; tremendum, Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda. Quodq; item hic. Iam rapidi ſteterãt manes & turba ferarum, & reliqua, ibi item, Quin ipſæ ſtupuere domus atq; intima læti Tartara, & quæ ſequuntur. Tum quod hic ita. Illa quidem nimium manes experta ſeueros Præceptum ſignabat iter, nec rettulit intus Lumina, nec Diuæ corrupit munera lingua. ibi etiam ita, Iamq; pedem referens caſus euaſerat omnis, Redditaq; Euridice ſuperas ueniebat ad auras Pone ſequens, nanque hanc dederat Proſerpina legem. Quodq; hic, Oſcula cara petens rupiſti iuſſa Deorum ibi, Reſtitit, Euridicemq; ſuam iam luce

ſub ipſa Immemor heu uictuſq; animi reſpexit: ibi omnis
Effuſus labor, atque immitis rupta Tyranni Fœdera.
Demum quod hic, Dignus Amor uenia, paruum ſi Tar-
tara noſſent Peccatum ignouiſſe: ibi ſic, Ignoſcenda qui-
dem, ſcirent ſi ignoſcere manes. Vt iam ſi computes con-
ferasq; ſententias, ferè quidem nihil horum non proba-
uiſſe illum fateare, cum tam multa de hoc Culicis paſto-
rali penu in perurbanas illas perelegantesq; Georgico-
rum epulas conficiendas deprompſerit. An non tibi ita
uidetur? HERM. Mihi quidem uidetur: Sed ſequere.
POMP. Ego uero ſequor.
—Sed & uos ſede piorum
Vos manet heroum contra manus: hic & uterque
Aeacides: Peleus nanque & Telamonia uirtus
Per ſecura patris lætantur numina, quorum
Connubijs Venus & uirtus iniunxit honorem:
Hunc rapuit ſerua, aſt illum Nereis amauit.
Aßidet hac iuuenis, ſociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcuſſus, referens à nauibus ignes
Argolicis Phrygios torua feritate repulſos.
O quis non referat talis diuortia belli,
Quæ Troiæ uidere uiri, uidereq; Graij,
Teucria cum magno manaret ſanguine tellus,
Et Simois Xanthiq; liquor, Sygæaq; præter
Littora, cum Troes ſæui uos Hectoris ira
Videre in claſſes inimica mente Pelaſgas
Vulnera, tela, neces ignes inferre paratos.
Ipſa iugis nanque Ida potens feritatis & ipſa
Aequa faces altrix cupidis præbebat alumnis,

Omnis

Omnis ut in cineres Rhoetei littoris ora
Claßibus ambuſtis flamma ſuperante daretur.
Hinc erat oppoſitus contra Telamonius heros,
Obiectoq; dabat clipeo certamina: & illinc
Hector erat Troiæ ſummum decus, acer uterque:
Fulminibus cœlo ueluti fragor editus alto,
Ignibus hic teliſq; ſuper, ſi claßibus Argos
Eripiat reditus, ille ut Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere nauibus inſtet.
Hoc erat Aeacides alter lætatus honore,
Dardaniæq; alter fuſo quod ſanguine campis
Hectoreo uictor luſtrauit corpore Troiam.
Rurſus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, & huius
Alma dolis Ithaci uirtus quod concidit icta.
Huic gerit auerſos proles Laërtia uultus:
Et iam Strymonij Rheſi uictoraq; Dolonis,
Pallade iam lætatur ouans, rurſusq; tremiſcit
Iam Ciconas, iamiamq; horret Læſtrygonas atros.
Illum Scylla rapax canibus ſuccincta moloßis,
Aetnæusq; Cyclops: illum metuenda Charybdis,
Pallentesq; lacus, & ſquallida Tartara terrent.
Hic & Tantalei generis decus amplus Atrides
Aßidet Argiuum lumen, quo flamma regente
Doris Erichtonias proſtrauit funditus arces.
Reddidit heu grauius pœnas tibi Troia ruenti,
Helleſpontiacis obiturus reddidit undis.
Illa uices hominum teſtata eſt copia quondam,
Ne quiſquam propriæ fortunæ munere diues
Iret ineuectus cœlum ſuper omne: propinquo

 Frangitur

Frangitur inuidiæ telo decus. Ibat in altum
Vis Argoa petens patriam ditatáq; præda
Arcis Erichthoniæ: comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus: Nereis ad undas
Signa dabat, pars inflexis super acta carinis:
Cum seu cœlesti fato, seu syderis ortu
Vndique mutatur cœli nitor: omnia uentis
Omnia turbinibus sunt anxia: iam maris unda
Syderibus certat consurgere, iamq; superne
Corruere & Sol ijs & sydera cuncta minantur,
Ac uenit in terras cœli fragor: hic modo lætum
Copia nunc miseris circundatur anxia fatis:
Lætum uero dixit, pro lætorum antiquo illo more quem tetigit in oratore suo Cicero: nam qui prius erant læti, cursuq; prospero uehebantur, tunc anxij tristesq; circundabantur miseris fatis. Itaque sequitur,
Immoriturq; super fluctus & saxa Capharei,
Euboicas & per cautes, Heræaq; late
Littora, cum Phrægiæ passim uaga præda peremptæ
Fluctuat omnis in æquoreo iam naufraga tractu.
Hic alij sidunt pariles uirtutis honore
Heroes, medijsq; siti sunt sedibus omnes,
Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hic Fabij, Decijq;, hic est & Oratia uirtus:
Hic & fama uetus nunquam moritura Camilli:
Curtius &, medijs quem quondam sedibus urbis
Deuotum bellis consumpsit gurgitis haustus:
Mutius & prudens ardorem corpore passus,
Legitimæ cessit cui fracta potentia regis.

Hic

Hic Curius c.are socius uirtutis: & ille
Flaminius, deuota dedit qui corpora flammæ.
Iure igitur talis sedes pietatis honore:
Illi Scipiadæq; duces, deuota triumphis
Mœnia quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua uigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus uiduos à lumine Phœbi,
Et uastum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit uincula sede.
Ergo iam causam mortis me dicere uinctæ
Verberibus sæuo cogunt ab iudice pœnæ:
Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis:
Nec tolerabilibus curis hæc immemor audis:
Quæ tamen ut uanis dimittens omnia uentis
Digredior nunquam rediturus. Tu cole fontes,
Et uirides memorum syluas, & pascua lætus:
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit, & extrema tristis cum uoce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia uitæ,
Interius grauiter mentem æger, nec tulit ultra
Sensibus infusum culicis de morte dolorem.
Quantumcunque sibi uires tribuere seniles,
Quis tamen infestum pugnans deuicerat hostem,
Riuum propter aquæ uiridi sub fronde latentem
Conformare locum capit impiger: hunc & in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetiuit in usum,
Gramineam ut uiridi foderet de cespite terram.
Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulauit opus, atque aggere multo

Telluris

Telluris tumulus formatum creuit in orbem:
Quem circum lapidem leui de marmore formans
Conserit assiduæ curæ memor: hic & Acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et uiolæ omne genus: hic est & Spartica myrtus,
Atque Hiacynthus: & hic Cilici crocus editus aruo
Laurus item Phœbi surgens decus, hic rhododaphne,
Liliaq; & roris non auia cura marini,
Hærbaq; thuris, opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthusq;, hederæq; nitor pallente corymbo,
Et bochus Libyæ regis memor: hic amaranthus
Buphthalmusq; uirens, & semper florida Picris.
Non illinc Narcissus abest, cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus,
Et quoscunque nouant uernantia tempora flores.
His tumulus super inscribitur: tum fronte locatur
Elogium, tacita format quod littera uoce,
Parue Culex pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium uitæ pro munere reddit.

Sed est à me tibi gestus Hermolaë, mos, ut uides, explicatiq; filo atque ordine Culicis iam quidem omnes, ut uolebas, uersus: nisi quid me meus memoriæ sensus fefellit: quod esset tamen ipsum non mirandum: aliarum enim rerum cum scriptionibus, tum certe lectionibus occupati, uel priuatis, uel publicis, diu nihil horum commentamur. Sed siue me aliquid fugit, siue non fugit, resumendi tibi erunt tui libri, quemadmodũ dixi, relegendiq; ante, quàm ea, quæ ipsi recensuimus atque in libris reliquis non habentur, è memoria elabuntur tua. Nam & sunt illa quidem

dem ualde multa, ac nescio an plura etiam quam ipsi uersus, & similitudine plurimũ fallunt. Quam enim multos fefellisse illud putas, quod dixi, Et semper florida Picris? Pinus enim iam ubique, nõ Picris legitur. Fallit autẽ illud semper florida. Nam quidem cum pro eo, quod est semper uirens, recipiatur, quoniam Pinus semper uiret ipsa, nihil ulterius ambigunt, quiescuntq; iam omnes sensus scriptionisq; delusi uicinitate. Qua in re facillime quidẽ poteram ipse quoq; cum cæteris decipi. Non enim modo nullo in libro est à me unquã lectum Picris: Sed ne in meo illo ipso peruetteri quidem, ea pagellæ parte consumpta delapsaq; uetustate. Verum cum Pinus uel quia maior ea arbor est, quàm ille ipse poscat, in quo scribitur, locus, uel quia omnino nunquam floret, mihi quidẽ non probaretur, uenissetq; in mentem Picridem hærbam esse, quæ semper floreat, ita emendari aptissime uersum uteremq; uerum sensum resti tui existimaui, si Picris scriberetur. Putabam enim euenisse aliquando, ut cum id indocti homines legissent, neq; quid esset Picris compertum ipsi habuissent (non enim multum nota hærba est) Pinus scripsissent, rati ita scribi oportere: quod quidem postea emanarit latius. Sed quoniam Hermolae tecum loquor, cui quidem sunt uni omnium maxime (ut iam scriptores reliquos taceam) Plinius, Theophrastus, Dioscorides q; familiares: quorum alterũ castigasti, alteros etiam effecisti Latinos: non committam, ut mihi ipse assentiar, probem'ue aliquid, nisi planè tu idem probes. HERM. Ista uero Pomponi neque ut sese probẽ exigunt: per se enim ipsa probantur satis: neq; si mihi non probarentur, haberem ipse, quo refellerem modo: ita sunt

Picris hærba.

fulta

fulta munitaq; non tam quidem ueri similitudine, quàm (ut mihi uidentur) ipso uero. Quare tua ista siue Picris, siue Amarago (sic enim illam appellat Theodorus) posthac quidem inter illos Culicis frutices hærbulasq; semper manebit: Itaque refloreat sinamus cum his: nullibi enim profecto unquam florebit aptius, quàm eo in loco. Sed quid illud hærbæ est Pomponi, quod dixisti, Et Bochus Libyæ regis memor? Ego enim eorum, quæ terra gignit, isto nomine antea nunquam quicquam legi, neque porro ullam historiam, qua quidem huius à Bocho rege traditi nominis ratio causaq; recenseatur: quod mihi quidem uidetur innuere Virgilius illo uersu. Tu si legisti aliquid in hanc sententiam, id quid sit, ualde aueo scire. POMP. Atqui ego Hermolaë de te ista ipsa quærere uolebam modo. Quanuis enim tu iuuenis admodum sis, ego autem profecto iam senex, non est tamen cur me pœniteat doceri abs te, si quid ignorem: ignoro autem, ut uides, semper multa. Nam qui plura legerit, quàm tu, aut etiam scripserit, adhuc quidem nostra ætate neminem uideo. Sed quoniam ea in re ipse me consulis, qua de ego te consultum uolebam, feram iam id moderatius. Tantum dico, cum tam multi omnis generis tum Græci tum Latini scriptores deperierint, ut ipse dicebas modo, si unius aut alterius fabulæ argumentum notitiaq; desideratur, nõ esse mirandum, præsertim cum poëtæ nostro placuisse uideamus hoc de genere omnino, cuius fuisse illum peritißimũ constat, interdum etiam reconditioribus nominibus, quasi floſculis, respergere suos libros. Nam (ut reliqua præteream) tur) planè Amello quid sit, quem ipse in Georgicorum libris

Amarago.

Bochus

Amello.

bris florem dixit esse ab agricolis ita uocatum, alibi non temere inuenies. Buphthalmum autem, quod eodem in Culice posuit, est illud quidem non notißimum certe nomen: Sed tamen est eius hærbæ, quam Aizoum Græci uocant, pars nobilior, ita dicta propter foliorum indeficientem uiriditatem: Itaque addidit semper uirens. nam illud aduersium temporis SEMPER ad utranque hærbam, & Buphthalmum & Picridem retulit. Sed de his hactenus, si tibi uidetur. Est autem iam tempus, ut tu mihi item aſſeras aliquid è Terentij nostri fabulis: quemadmodum recepisti te facturum: quo hic etiam Phædrus, qui ea lectione plurimum delectatur, habetq; eum librum ferè semper in manibus, sese augeat probis & incorruptis locis. Nam te librum habuisse Terentianum peruetustũ maioribus scriptum litteris, ijs, quas uere antiquas dicimus, sæpe audiui. HERM. Est istud quidem uerum, quod dicis. Nam & habui eum librum, & legi, & notaui multa: quæ delectare Phædrum poterunt: siquidem est, ut dicis, in legendo illo plurimus. Quanquam quid prohibet nos etiam Pomponi eius poëtæ uel candore elegantiaq; sermonis, uel pudore grauitateq; delectari? quibus Cicero ipse tã est delectatus, ut non pauca inde sumpserit, transtuleritq; in suã scripta, non minus libenter, quàm etiã ambitioſe, ut mihi quidem uidetur. Sed gerã tibi morem, referamq; non planè omnia, quæ antiquo illo in libro probè scripta animaduerti esse, Sunt enim prope innumerabilia: Sed ea, quæ memino. Itaque attẽde, num hoc aliquid sit, quod primum mihi in mentem uenit. Nam quæ leguntur argumenta fabularum in Terentianis libris, ea Terentij non sunt.

Buphthalmus.

ἀειῴωον.

Argum. Terent. fabularũ non esse Terentij.

Sororem

Sororem falso creditam meretriculæ
Genere Andriæ Glicerium uitiat Pamphilus.
itemq;
Sororem falso dictitatam Thaidis
Id ipsum ignorans miles abduxit Thraso.

& reliqua, quæ habentur fabularum reliquarum argumenta, ea dico Terentij non esse. POMP. Tu ne hoc dicis Hermolaë, Terentium poëtam argumenta illa non scripsisse? HERM. Verò. POMP. Neque illum ea composuisse? HERM. Id ipsum. POMP. Cuius autem sunt? Nam te puto id scire, qui scias Terentij non esse. HERM. Sunt illa quidem C. Sulpitij Apollinaris, eius quem sæpe citat Gellius, docti & eruditi uiri: quiq; Pertinacem Imperatorem Latinas literas docuit. Nam in eo uetusto libro, quem dixi, is est eorum argumẽtorum titulus, C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA, unus idemque omnium. POMP. O præclarum librum: si quidem eius edicto Sulpitius tanto post tempore in possessionem suorum carminum restituitur. Sed ista Sulpitij siue argumenta siue Periochæ, ut est in libro illo Hermolaë, ab ijs, quæ uulgo habentur, ecquid discrepant: ut si ea nobis recensueris, aliquid lucri uterque nostrum faciat? HERM. Discrepant sanè illa: sed quantum, iam de Politiano intelliges. Is enim sibi ea descripsit modo, cum ei librum ostendissem: fidemq; mihi dedit, se impressoribus mandaturum, ut ea in uulgus darent. Itaque te ad Politiani libros reijcio. Sed mirum est, quam aliter multa scripta eo in libro sint: ac sunt in alijs: ut appareat singulas omnino paginas etiam num probam illam antiquitatem redolere.

Nam

Nam & in Heautontimorumeno est
Quid seni erit nostro miserius? Seni, p sene.
non sene: & paulopost,
Eius anuis causa opinor, quæ erat mortua. Anuis, pro
non Anus. Quod etiam notat Gellius: & quomodo, si anus.
recte memini, Varro in libro de agricultura primo dixit, Vt Mineruæ caprini generis nihil immolarent propter oleam, quod eam, quam læserit, fieri dicunt sterilem: eius enim saliuam esse fructuis uenenum, pro eo, Fructuis.
quod est Fructus: quem quidem casum aliter in Adelphis protulit, antique tamen.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab ijs fero. Fructi.
& in Hecyra
Ne nomen quæsti mihi obstet: nam mores facile tueor. Quæsti.
itemq;
Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente inuasit? Tumulti.
& in Phormione
Vbi in mentem eius aduenti uenit. Aduenti.
Est & in Eunucho QVI dandi casu positum, pro CVI. Qui, pro cui.
Nam in me plane Di potestatem suam
Omnem ostẽdere, qui tam subito tot cõgruerint cõmoda.
& in Phormione
O fortunatissime Antipho. Ant. Ego ne? Phæ. Qui quod amas, domist.
quod tamen recte ductum uidetur: ut à QVIS nominandi casu, dandi casus in hanc potius formam exeat QVI, quàm in illam CVI. Quod quidem miror latuisse Quintilianum. Is enim in eo Virgilij uersu Verg. locus.
Qui non risere parentes,

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est:

QVI nominãdi casum dixit esse pluralis numeri. Itaq; rectum sensum etiã peruertit poëtæ: nã quod ait Virgilius

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:

Non id uult, ut puer arrideat matri: sed ut cognoscat matrem ab eius risu: magis enim mulieres omnes suis arridենt filijs, quàm aliarum: quippe, quæ magis etiam illis intuendis gaudeant, necesse est, uel quoniam extra laborem ferendi uentrem pariendiq; dolores & pericula iam sunt, uel quod pueros ex sese natos uident: quod est omnium rerum iucundißimum: itaque repetit,

Incipe parue puer. Nam cui puero parentes nõ riserint, quoniam id accidere nisi propter eximiam aliquam deformitatem non potest, hic iã ex ijs esse, qui Dijs chari sunt, non uidetur, neque dignus, qui uitæ cum muneribus maximis, tum hilaritatibus egregie perfruatur. An non tibi ita Pomponi uidetur? POMP. Mihi quidem uidetur: eoq; magis, quod in meo illo Virgiliano peruetusto libro, quẽ dixi, ita scriptum est.

Cui non risere parentes:

Vt iam ne liceat quidem aliter credere: error autem omnis in eo est, quod risum ad puerum referunt: nam si ad matrem retulissent, nihil ambigeretur: puto autem te memoria tenere ea, quæ Politianus quoque hoc ipso de Virgilij loco scripserit, HERM. Quid ni teneam Pomponi? quem quidem locum ex facili, atque aperto etiam, durum & à Virgiliana loquendi simplicitate alieniorem facit: sed de eo ipse uiderit. Antiquitatis autem amatorem fuisse Terentium etiam illa indicio sunt in Hecyra

Fors

Fors fuat pol. Fuat.

Ab eo deductum uerbo peratiquo, quod est FVO, ualetq; idem, quod Sum: quo etiam est Virgilius usus

Tros Rutulus ue fuat.

pro sit: & illa in phormione PREBIT, pro eo quod est Præbet, Prebit,

Ea qui præbit, non tu hunc habeas planè præsentem Deum? & DVCTIS, pro Ductes, Ductis.

Vt me phaleratis ducas dictis, & meam ductis gratis?

& TACIS, pro Taces, & ENICAS, pro Enecas, Tacis.

Eho tu, Consobrinum tuum nõ noras? DEM. Enicas: Enicas,

Dic nomen. PHOR. Nomen? maxume. DEM. Quid nunc tacis?

& postea

Satine etiam, si te dilibutũ gaudio reddo? ANT. Enicas.

Quin tu has pollicitationes auferis?

& item postea,

Abi, tange: si non totus friget, me enica.

& RESTITIS, pro Restitas: Restitis.

Id quidem tibi iam fiet, nisi restitis uerbero.

& in Adelphis,

Vestitu nimio indulgis

pro Indulges: & Indulgis.

Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit: pro Obstupuit: quemadmodum dicunt quidam scripsisse Virgilium, Obstipuit.

Obstipui, steteruntq; comæ.

&

Obstipuit simul ipse.

tum in Heautontimorumeno

Intuitur, Quis nam hic adulescens est, qui intuitur nos?
pro Intuetur: &

Luciscit. Luciscit: hoc iam cur cesso pultare ostium?
pro Lucescit: & in Adelphis

Inciperunt. Peri hercle: hac illi spe hoc inciperunt:
pro Inceperunt: & alia item eiusmodi multis in locis. quibus quidem uerbis illud contraria oratione dictum ab eo est in eisdem Adelphis

Dimedium. Dedit præterea in sumptum dimedium minæ.
pro dimidium:
& in Eunucho

Demet. Interea aurum sibi clam mulier demet:
pro Demit.

Neglegitur. Et in Phormione NEGLEGITVR pro Negligitur.
Quia egens relictast misera, ignoratur parens,
Neclegitur ipsa. Vide auaritia quid facit.
& paulo infra
Sæpe interea mihi senex
Narrabat se hunc neclegere cognatum suum.

Relictast. Et alibi etiam. Nam quod dixi RELICTAST. Ita sæpissime scriptũ eo in libro inuenies, pro Relicta est.

Futurumst. & FVTVRVMST, pro Futurum est. Quod uero in Phormione, ubi Sophrona & Chremes colloquuntur,

St. hæ duæ uisuntur literæ sic positæ. ST.

Di obsecro uos, est ne hic Stilpho? Chr. non. Soph. negas?
Chr. Concede hinc à foribus paululum istorsum sodes
Sophrona
Ne me istoc posthac nomine appellassis. Soph. Quid? non

non obsecro is,
Quem semper te esse dictitasti? Chr. St. Soph. Quid has metuis fores?

Silentiij est illa quidem nota St, ut eo quasi nutu & signo potius quàm uoce, ostẽdamus uelle nos sileri ab ijs, quibuscum sumus: quemadmodum uolebat Chremes silere Sophronam, ne ab uxore ipsius exaudiretur: quam notam cum non perciperent ij, qui legebant, E, literam addiderunt, Estq; fecerunt: quo sanè uerbo mirificum poëtæ sensum perturbauerunt. Quod autem in eadem legi fabula.

Interea dum sedemus illi, interuenit
Adulescens quidam lachrymans. Illi, pro illic.

Illi est, pro Illic, uetusto sanè more: ut etiã in Hecyra:

Itaque ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisque uenerat Accedebam.

Quo uerbo etiam Virgilius est usus

Patet isti ianua læto.

Tum illud etiam, quod in eadem Hecyra est, Isti, pro istic.

Horunc ea ad hos de lege redibat hereditas. Horunc, pro horum.

pro eo, quod est Horum, est antiquè dictum addita C, litera, ne collisio fieret.

Quid illud in Phormione autem Pomponi, quàm uenuste dictum?

Heus quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curaui unum hoc quidem, ut mihi esset fides. Quãtaquãta.

non ut est in reliquis, Quantacunque, Quod quidem etiam in Adelphis legitur:

Tu quantus quantus, nil, nisi sapientia es.

aut quid etiam illud in eodem Phormione

Nam quæ hæc anus est, exanimata à fratre quæ egressa est meo?

non autem, Quæ nã: ut habent omnes. A quo mihi quidem loco sumpsisse Virgilius uidetur eã loquendi figurã, qua est in Georgicis usus tã apte tamq; uenuste, ut nihil supra.

Nam quis te iuuenum confidentissime nostras
Iussit adire domos?

Quanquam uetuste etiam illa per literæ detractionem sunt dicta in Andria.

Multimodis. Næ istam tuam multimodis inueniri gaudeo.

& in Eunucho

Quid? is obsecro ad nos quamobrem adduxtust?

S litera elisa. Amabant enim ueteres multum ut scis S, literæ abiectionem: quanquam quidem alius etiam literas abijciebant, ut in ipsa Eunucho

Sedecim. Anni? Chre. Anni? Sedecim.

& item

At ille alter uenit annos natus sedecim.

& in Ecyra

Prægnas. Nam abducta à nobis prægnas fuerat filia.

Nec fuisse prægnatem ante hunc unquam sciui diem.

& in Adelphis

Sed uereor ne indiliges nimium sies.

In quo illud mihi mirum admodum uideri solet: quòd quam literam abijciebant multis in uerbis, ut uides ex his Pomponi, ueteres homines ad gratiam, eandem in multis addebant, ut in Andria

Milliens. Ex ipsa miliens audiui.

& in Phormione,

At enim

At enim tædet etiam audire eadem miliens

& in Heautontimorumeno,

Vt nihil credas intelligere, nisi idẽ dictum sit centiens. Centiens.

quo etiam more in antiquissimo Virgilij libro legisse me memoria teneo illum uersum,

Et nouiens styx interfusa cohercet. Nouiens.

Quanquam in eodem libro etiam illud legi,

Nec face tantum
Cisseis prægnas ignis enixa iugales.

Sed est etiam in Eunucho,

More hominum euenit, ut quid sim nanctus mali Nanctus.
Prius resciscerem, quàm ego illud, quod mihi euenit boni.

Sed & FINCTVM pro ficto, & THENSAVRVM, pro Thesauro, & FORMONSIOREM, pro Formosiore: alijs idem in locis Poëta dixit: tũ illud etiam in Eunucho OSSVM pro eo, quod est OS. In quo cognosci potest, quam rectius in uetusto illo, quem totiens iam dico, libro scriptum id sit, Finctum. Thensaurus. Formonsior. Oßum.

Viden' Oßum & cibus quid faciat alienus?

quàm in cæteris: qui habent Otium, non Oßum. Sed iam uereor, ne uobis planè uidear minuta nimium & pusilla consectari. POMP. Nobis uero Hermolaë nihil pusillum potest esse, quod eiusmodi sit, in quo uideas poëtam tanti nominis etiam diligentiam adhibuisse, ut illo modo potius, quàm alio conscriberet: quin etiam, credas mihi uelim, maiorem in modum nos minuta ista delectant, quæ attulisti: ualde enim faciunt ad Terentianam industriam, probitatemq; cognoscendam: itaque sequere. HERM. Est igitur, quoniam ita uis, in Eunucho, ubi Thais ancillas

suas propere alloquitur, mandans ea quæ curari uult, sic,
Quid, quid aliud uolui dicere? e hem:
Curate istam diligenter uirginem.
Quasi poëta suspensam Thaidem ostenderet secum ipsam
quærere, quid nam illud esset, quod mandare ancillis in
animo habuerat suo, neque reminiscebatur: itaque ait,
Quid, quid aliud? quo item sensu Cicero est usus in suis
illis ad Atticum uere familiaribus epistolis. Quid præ-
terea? quid? etiam: Gabinius ad IIII. Kælendas octobris
noctu in urbem introijt: & alibi: Noui quid nam scri-
bam? quid? etiam: Messala consul Anthronianam domum
emit: & item. Aliud quid? etiam: Quando te proficisci
Etiam. *istinc putes, fac ut sciam. Quibus in locis* ETIAM *non*
addentis est, sed annuentis, affirmantisq; se scilicet illud
Ehem. *habere, quod scribat: ut loco eius uerbi, quod Terētius di-*
xit EHEM, *quod quidem erat poëticū sane uerbum, ipse*
ETIAM *diceret castius medius fidius et moderatius. Apud*
Ciceronē autem non uno in loco, sed pluribus ETIAM
affirmantis esse notam, cui contrarium infertur NON,
non te arbitror fugere. Sed uis ne tibi Pomponi recen-
seri à me eos poëtæ uersus, qui mihi in mentem uenient,
in quibus insit aliquid, quod te delectare possit: sinamq;
te illud aliquid quærere ex tuo Terentij libro, cum uo-
les, domi tuæ? POMP. Ego uero maxime: uult autem
etiam Phædrus hic ita te facere: qui quoniam est, ut ui-
des admodum adolescens, retinebit illa melius, quæ di-
centur abs te, quàm ego, qui senex: uacillare autem sæpe
memoriola senes homines, non te fugit. Itaque utar ipso,
si erit opus: quare sequere. HERM. Ego uero sequor.

Sunt

Sunt igitur in eodem Eunucho prima hæc:
Si quisquam est, qui placere studeat bonis
Quamplurimis, & minime multos lædere:
In his poëta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimauit esse, sic existimet,
Responsum non dictum esse, quia læsit prior.
Qui bene uertendo, & eadem scribendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Sunt & hæc

Opus faciam ut defatiger usque, ingratis ut dormiam,
Par. Vigilabis lassus: hoc plus facies? Phæ. Abi sis: nihil
dicis Parmeno.

& hæc

Illum liquet nihil deierare his mensibus
Sex septem prorsus non uidisse proximis.

& hæc

Ipsa st, ilicet: desine: iam conclamatum est.
quemadmodum & alibi. Nam in Adelphis etiam,
Em tibi:
Resciuit omnem rem: id nunc clamat: ilicet:
Paratæ lites.

& in Phormione,
Hoc nihil est ô Phædria: ilicet: quid hic conterimus ope-
ram frustra?
Sed sunt in Eunucho & hæc
Age, eamus intro nunc iam: orna me: abduc: duc, quan-
tum potest.

& sub infra

Quæ nos noſtramq; aduleſcentiam habent
Deſpectam.
tum & hæc
Labore alieno magno partam gloriam
Verbis ſæpe in ſe transfert, qui habet ſalem,
Quod in te eſt. Thr. Habes. Gn. Rex te ergo in oculis
Thr. ſcilicet. Gn. geſtare. Thr. Vero: credere omnem
exercitum,
Conſilia.
& hæc
Aut dicat, quod uult, aut moleſta ne ſiet.
Non hercle ueniam tertio. Heus heus, ecquis hic eſt?
Ego ſum Chremes.
& hæc
Id'que adeo uiſam: uiſam, ſi domiſt. Quis nam hinc à
Thaide exit?
Is eſt? an non eſt? ipſus eſt. Quid hoc hominis? Qui hic
ornatus eſt?
& hæc
Nunc quis hic eſt? nemo eſt. Nunc quis hinc me ſequi-
tur? nemo homoſt.
Iam ne erumpere hoc mihi licet gaudium? proh Iuppiter
Nunc eſt profecto interfici, cum perpeti me poßum:
Ne hoc gaudium contaminet uita ægritudine aliqua.
Sed neminem curioſum interuenire nunc mihi,
Qui me ſequatur, quoquo eam: rogitando obtundat,
enicet.
& hæc
Certe extrema linea

Amare

Amare haud nihil eſt.
& hæc
Quid nunc agimus? Gn. Quid? redeamus. Iam hæc tibi
aderit ſupplicans.
Vltrò.
& hæc
Nam iam diu aliquam cauſam quærebat ſenex
Quamobrem inſigne aliquid faceret ijs: nunc repperit.
& hæc
Si quid conlibitum, noui te. hoc ſi feceris:
Quod uis donum, præmium à me optato: id optatũ feres.
& hæc
Accipit homo nemo melius neque prolixius.
demum & in extremo hæc,
Nihil præter promißum eſt: ite hac.

Sed quid eſt Pomponi, quod te cogitare attente ad-modum uideo? an hæc quæ dixi, memoriæ commendas tuæ? POMP. Minime uero Hermolaë: nam mihi ſatis eſt Phædrum iſta de te audiuiſſe. Sed id diſpicio potius, me-cumq; ipſe computo, quàm diuerſa ſint multa eorum, quæ à te recitata ſunt, ab ijs, quæ uulgo habentur: rede-unt enim mihi in mentem fere ſingula: tum quàm paruæ illuſiones momenta ſæpe non parua afferant poëtæ ſenſi-bus: ut illud eſt, quod dixiſti:

Nam iam diu aliquam cauſam quærebat ſenex,
Quamobrem inſigne aliquid faceret ijs: nunc repperit.

illud enim ijs, quod in tuo eſt, ut ſit dandi caſus plura-lis numeri, memini me legere ſic, ut eſſet nominandi, ſeniq; que tribueretur: itaque una addita literula Teren-

tianam

tianam sermonis elegantiam candoremq́, qui deperierat, planè restituit. Sed nolo te interpellare: & quoniam Eunuchum, ut uideo, iam explicasti: ex Andria si quid habes, affer: habere te autem æque multa puto. HERM. Habeo, & afferam: sed non multa: nam ex illo libro maxima eius fabulæ pars desideratur fugientibus uetustate literis, ut cognosci nequeant: sed percepta mihi tamen sunt, atque agnita, quod meminerim, hæc perpauca:

Daue perij. DA. Quin tu hoc audi. PAM. Interij. DA. Quid timeas scio.

CAR. Mea quidem hercle certe in dubio uitast. DA. Et quid tu scio.

PAM. Nuptiæ mihi. DA. Et si, scio. PAM. Hodie. DA. Obtundis: tametsi, intelligo.

Tum hæc,

Ego istuc moueo aut curo? num tu tuum malum æquo animo feras?

Ex Heautontimorumeno autem illa primum mihi sese offerunt Menedemi senis cum fratre uerba,

Putauit me ætate & sapientia
Plus scire & prouidere, quàm seipsum sibi:

tum & illa,

Ancillas, seruos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile uictum exercerent suum,
Omnes produxi, ac uendidi: inscripsi ilico
Aedis: mercedem quasi talenta ad quindecim
Coegi:

& infra

Nec mihi fas esse ulla me uoluptate his frui.

Eius

Eius autem in pagellæ margine, ubi hi erant uersus, legi etiam illius uerbi EXERCERENT interpretationem minutulis adscriptam literis ita, Exercerent, resarcirent: hoc est in sumptu exercerentur suo. Virg. Ferrum exercebant: pro, In ferri fabrica exercebantur. An non hæc eruditi hominis declaratio illius uerbi tibi Pomponi uidetur?

POMP. Mihi sanè uidetur. Nam quid potuit afferri aptius? Te uero Hermolaë ualde amo: quẽ ne ista quidem præterierint. Sed perge ad reliqua. HERM. Pergam igitur ad illa, quæ sunt in eadem fabula:

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex huius uiuere?

Et quod illum insimulant durum, id non est.
Nam parentum iniuriæ uniusmodi sunt fermè:
Scortari crebro uolunt: uolunt crebro conuiuarier.

Quos extra uersus eodem in margine pusillisq́; literulis est & hoc: Virgilius,

Hunccine te Euriale aspicio. Verg. locus.

Quo lecto animaduerti non tam belle dici, Hunc ego te Euriale aspicio, quod est in libris omnibus, quàm Hunccine, quod in illo.

POMP. Recte id quidem animaduersum abs te est Hermolae. Illa enim interrogantis uox NE dolori & querelis aptissima, quam repetit eodem uersu Virgilius,

—Tu ne illa senectæ
Sera meæ requies:

Si desit prioribus ijs in uerbis, quæ quidem uerba eadem ui, eodem oris spiritu mœroreq́; proferuntur, desit etiam egregia sensus & figuræ concinnitas, necesse est. Sed uelim

lim scire ex te, posteaquàm hunc in locum sermo me perduxit tuus, ut de Eurialî matris lamẽtatione loqueremur, existimes'ne recte illa dici, quæ de eo, qui paulo inferius est, uersu attulit Seruius,

—Nec te tua funera mater
Produxi:

ut Funera sit pro funerea positum, ad mulieremq; referatur? HERM. An tu me tam ignarum Pomponi Virgiliani moris, candoris, atq; iudicij existimas, ut quod alibi nusquam legitur, credam à poëta grauissimo, nouandisq; uerbis omnium castissimo, hoc in loco fuisse dictum? mihi quidem non fit uerisimile: illi si erat, afferre eum oportebat exemplum aliquod, quo niteretur, asperitatemq; leniret uerbi: sed de illo hactenus: mihi sic legendum uidetur, si tibi uni probabitur,

—Nec te tua funere mater
Produxi:

Quo in sensu atque uerbo nihil durum, aut uiolentũ, aut insolens, sed summa etiam cum sermonis, tum consuetudinis obseruatio, summa lenitas atq; facilitas inest: indoctos autem librarios, ut sunt plerique, uicinitate deceptos puto possessiui nonunis Tua funera primum scripsisse, cũ Funere scriptũ legissent in eo, quem describebant ipsi libro, mendumq; esse existimauissent. POMP. Mihi quidẽ istæ Hermolaë non probantur solum, sed magnas tibi etiam gratias ago, quod Virgilio restitueris hoc quoq; in loco & candorẽ & dignitatem suã: addo etiã & diligentiam: meq; nihil omnino frustra abs te petere ualde gaudeo: sed refer te ad Terentiũ tuum. HERM. Sunt uero in eodem Heautonti

Heautontimorumeno, quæ tibi explicem, & illa,
Scio quid feceris:
Sustulisti. SOS. sic est factum. CHR. domin? SYR. ergo herus damno auctus est.
& illa
Quid malum? me ætatem censes uelle id adsimularier?
& illa
Huius mihi res semper comminiscere,
Vbi me excarnifices. SYR. Is hinc, quo dignus es: quo in loco uidere est ueteres homines indicandi uerborum pro Imperandi usos modo. Is hinc, pro I hinc: ut etiam alibi nõ semel Animo bono es: pro Esto, qua dicendi figura utitur sæpe Cicero. Sed sunt & hæc eadem in fabula, Indicatiuus pro imperatiuo.
Quo mittis istam quæso? iube maneat. BAC. ij. SYR. quin est paratum argentum.
& paulo post.
Cape hoc argentum, ac defer. SYR. ij. quid stas lapis, quin accipis?
Vt uidere liceat antiquorum in scribendo morem: qui ij, pro i dixerint eo, quo nos utimur.
Sunt hæc
Pergin mulier odiosa esse? nullam'ne ego rem unquam in uita mea
Volui, quin tu in ea mihi fueris aduorsatrix Sostratæ?
& paulo infra
Subditum se suspicatur. CHR. Subditum? ain tu? SOS. certe sic erit mi uir. CHR.
Confitere tu? Sos. au obsecro: istuc inimicis siet.
Hæc autem, quæ tibi recensui Pomponi, quantum ab ijs differant,

differant, quæ leguntur: tu te facile perſpicies, cum tuum ſumpſeris librum: Quanquam, ut uideo iam perſpicis. Sed uolo te ſcire, plura eſſe, quæ me fugerint, neque enim re miniſci poßum omnia: quam quæ recordor, quæq; affero. Veruntamen hæc ipſa ſatis multa eſſe poterũt, ut uideas, huic omnino poëtæ, qui quidẽ in hominum manibus ualde frequens eſt, quantũ caliginis offuderit dies. Sed ad eluendas aliarum fabularũ maculas, ut poßumus, deprauationesq; trãſeamus. Itaq; memini me in Adelphis legere hæc.

Natura tu illi pater es, conſilijs ego.

DEM. Tun' conſilijs quicquam?

& hæc

Tu quod te poſterius purges hanc iniuriam mihi nolle
Factam eſſe, huius non faciam: crede hoc, ego meum ius perſequar.

& illa

Egon debacchatus ſum autem? an tu in me?

ESCH. Mitte iſthæc, atque ad rem redi.

& illa

Fratrem homini memini eſſe primarum artium magis principem.

SYR. Ô Cthesipho. Cte. ô Syre Eſchinus ubi eſt? SYR.

Ellum te expectat domi. Cte. Hem.

SYR. Quid eſt? CTE. Quid ſit? Illius opera Syre nunc uiuo, feſtiuum caput:
Qui omnia ſibi poſt putarit eſſe præ meo commodo:

& illa

Obſecro mea nutrix quid nunc fiet? CANT. Quid fiat rogas?

Recte

Recte ædepol ſpero: modo dolores mea tu occipiunt primulum.
Iam num times, quaſi nunquam adfueris, nunquam tu te pepereris?

& illa

Fortiter. SYR. Perquam: quia miſeram mulierem, & me ſeruolum,
Qui referire non audebam, uicit: hui perfortiter.

& illa

Niſi ſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero, qui putant,
Sibi fieri iniuriam, ultro ſi quam fecere ipſi, expoſtules:
Et ultro accuſant: id quia nõ eſt à me factũ, agis gratias.

Sed legi etiam in Phormione, ſi recte memini, hæc inuerſa in alijs, ut mihi uidentur libris:

Quæ ſi aſtu non prouidẽtur, me aut herũ peſſundabũt.
Nam non poteſt celari noſtra diutius audacia.

tum & hæc

Sed ego nunc mihi ceſſo, qui non humerum hunc onero pallio.

& hæc

Familiarem oportet eſſe hunc, qui minitatur malum: ſed is ne eſt,
Quem quæro, an non? ipſus eſt: congredere actutum.
ANT. Quid. GE. O omnium quantum eſt, qui uiuunt homo hominum honoratiſſime.

Demum hoc

Vel oculum exculpe: eſt ubi uos ulciſcar probe.
Reſtat Hecyra, cuius item, ut Phormionis, non omnino

e multa

multa mihi in mentem ueniunt è re nata nunc quidem: quæ aliter se habeant illo in libro: sed ueniunt tamẽ, atque, ut opinor, hæc:

Quid ais? cum uirgine unà adulescens cubuerit
Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit?

& hæc

Aedepol ne nos sumus iniqui æque omnino omnes inuisæ uiris.

item hæc

Nam nos oẽs, quibus est aliqũde aliquis obiectus labos,
Omne quod est interea tẽpus, priusquam id rescitumst, lucrost.

atque hæc

Sane hercle homo uoluptati obsequens
Fuit, dum uixit: & qui sic sunt, haud multum hæredem adiuuant:
Sibi uero hanc laudẽ relinquunt, uixit, dum uixit, bene.

Postremo hæc

Vosmet uidete iam Laches, & tu Pamphile,
Remissan' opus sit uobis, an reducta domum.
Neutra in re uobis difficultas à me erit.
Sed quid faciemus puero?
quo in loco animaduerti, hunc dicendi siue morem, siue figuram, Quid faciemus puero? qua etiã alijs in fabulis sæpe est usus,
Quid hic faciet sua?
Quid te futurum censes?
Vsurpasse Ciceronem sane percupide. Quid me fiet?
Quid pecunia fiet? Quid hoc homine facias? Quid factum

est Stratone & Nicostrato? quemadmodum alia permulta: ut facile cum appareat ad Terẽtij Sermonem suum libenter sermonem accommodauisse. Quod si hic etiam faciet Phædrus, ut quemadmodum ab Apelle ij, qui post illum pingendi artem assequi cupierunt, multas umbrarum eius & luminum positiones, multos membrorum motus in suas ex eius imaginibus tabulas simulachraq; transferebant: sic ipse huius poëtæ plurimos dicẽdi modos sermonisq; figuras & lumina suis in scriptis expresserit: non uereor, quin multo sit facilius in magnum illum uirum euasurus, quem adhuc quidem nostra ætas desyderat, multæq; supra eam frustra uidere concupiuerunt. Quanquam quidẽ non puto ipsum meis monitis & præceptis egere, qui te magistrum habeat: cuius de pleno fonte cum hæc, tum longe meliora haurire quotidie possit. Sed quoniam iam aduesperascit, uel hora ipsa, uel tua ætas me admonet, ne te hic diutius detineam. Quæ cum essent dicta, finem loquendi facto illi domum abierunt: Hermolaus in cubiculum se recepit.

IO. FRAN

CISCI PICI AD PETRVM BEMBVM DE IMITATIONE LIBELLVS.

IO. Fr. P. Pet. Bemb. S. Vtrum tibi cum antiquos imitanti scriptores, tum de imitatione mecum differenti assentiri an aduersari deberem, nondum satis Bembe iudicaui. Quando ipsos etiã uetres, qui proponũtur imitandi, hac de re cũ uarios, tum animi dubios fuisse planè cõperiebam. Ipsa quoq; ratio se se ita præbebat æquam utrique parti, ut quò uergeret non satis appareret. Quãobrẽ si quæreretur autoritas, si ratio desideraretur, qbus quasi germanis ad ueritatẽ indagandam uijs utimur, lis adhuc sub iudice manere uidebatur. Verũ enimuero dum cogitarem acrius, ipsamq; imitationẽ animo uoluerem, in eam sum adductus sentẽtiam, uti nõnihil quidẽ imitandũ asseuerem: usquequaq; uero nõ putem. Imitandũ inq̃ bonos omnes, nõ unũ aliquem, nec omnibus etiã in rebus: quod tute ipse arbitrabare. Qua quidẽ in re ut ita sentiam multa me mouent: coq; animus inclinat, uti aduersus te standũ facile existimem: id ipsum tibi declarare tentabo, conaborq; quibus potero rationibus, ut si nõ ego in te (quis enim in amicum, & talẽ qualis est Bembus, id faceret?) sententiam feram, ipse tamẽ fortaßis litem secundũ te dandã minime censeas. Ac primum omnium satis constat, imitatores à Platone

Platone uel inani, uel nullo uerius titulo notatos: ut qui proprio digni nomine non habeantur: niſi quod eis illa ipſa imitatio fecerit. Inhoneſta uerò Flacci nomẽclatura damnatos, & appellatos SERVVM PECVS. Hinc uideas omneis, quicũq; aliqua in re autores celeberrimi extiterunt, aliunde q̃ ex imitatione gloriã, quæ de rebus præclare geſtis exurgit, eamq; comitatur, ut umbra corpus, ſibi ipſis quæſiuiße. Ac potius uel intẽta cõtentione aduerſatos prioribus, uel adnixos longo eos interuallo præterire, nõ ſequi. Qui enim aſſecla cupit ſemper eſſe, primũ ſibi nunq̃ uendicabit locũ. Ad quem uidetur uel naturæ propenſio, uel neſcio qua certe ambitio totis uiribus anhelare. At imitatus dicitur Homerus Orpheum, adeo, ut carmen quod hic poëmati de Cerere cõpoſito præſtituit, in Iliade duobus tantum nominbus exceptis, oculatißimus cæcus ille tranſtulerit: nullus tamẽ inde honor eſt Homero partus: ſed quoniã ſonora magis grandioriq; tuba res Troianas cecinit, multa illum & undequaq; eſt gloria cõſequuta. Obfuit magis, q̃ profuit imitatio Vergilio: quoniam præclariſſimo uati, & quod ad iudiciũ poëticũ pertinet, omniũ omnino præſtantiſſimo, nihil ferè magis uitio uerti ſolet, q̃ imitatio nimia ueterũ poëtarũ: à quo tamẽ uitio longe illũ abfuiſſe cẽſeo: neq; enim omneis aliorũ imitatus eſt partes: ſuos ipſe habet numeros, propria tenet lineamenta, diſpoſitionemq; in primis peculiarẽ, & maxime propriã: (ut alia taceã, quæ nõ ſunt ei cõmunia cũ cæteris) æmulator ueterũ uerius, quàm imitator: & quanquã mutuo ſi nõ furto quædam bincinde quaſi ſigna ueterũ atq; toreumata carpſit ad

Homerus Orpheum imitatus.

Vergilius Homerum.

ornanda suorũ poëmatum ædificia: proprijs tamen illa
sunt ornamentis magis conspicua, atq; omnino magis
Cicero Demosthenem. illustria. Cicero quoq; neutiquam Demosthenem, quod
multis creditur, enixius est imitatus: plerisq; sanè in re-
bus æmulatus suũ retinuit filũ, & instituta dicendi. T.
T. Liuius. Liuius Salustio Clarissimo historiarũ scriptori palmam
Sallustius. uel æquam habuit, uel præripuit: diuersam tamẽ cucurrit
uiam ipsius cõsequendæ gratia. Debita quoq; laude nec
Cor. Tacitus. Cornelius, nec Curtius caruere: & primis illis & alter
alteri dissimiles. Quod si Græcam tractes historiã, quæ
Q. Curtius. maior, quàm inter Herodotũ, & Athenienſem illũ, cum
Herodotus. ducem, tum scriptorẽ rerũ à se gestarũ differentia stili?
Tucydides. utriusq; tamen laudes amplissimæ. Ad philosophos si de-
Aristoteles. ueniamus Græcos: Aristotelis eloquẽtia magnopere ce-
Plato. lebrata est cum Græcis, tum Latinis qui Græcè sciunt:
Platonis uero nunq̃ satis laudata, cum tamen illius stilus
huius sit graphio dissimillimus: nec etiam Atticæ similis
musæ, quanq̃ celebratissimæ, & Platonis planè dissimili
Xenophon. cũ scribẽdi ordine, tum uerbis, qbus hic ipse Xenophon
κοινοῖς Plato autem καλοῖς (ut Græci dicũt autores)
utebatur. Non defuit autem Aristoteli facultas imitandi
eum, præsertim cuius auditorij limen uiginti annos fre-
quentissime cõtriuerat. Non defuit eruditio, nõ iudiciũ:
maluit tamen suo in calle præcedere, quàm in lata aliorũ
Cicero. uia uel secũdus esse, uel tertius. Inter Latinos uero Cice
Varro. ronem & Varronẽ quænam quæso loquẽdi differẽtia?
neq; enim hunc ille, quanq̃ undecunq; doctissimum, aut
stilo imitatus est, aut ordine rerũ scribẽdarũ, & modo.
Antiqui enim illi præclarissimi uiri nunquàm aliquorum
imita

imitationi studebant, ita ut in eorum uerba, membra, cir-
cuitus, iurarẽt, quasi semper infantes: quasi alitibus post-
ponẽdi, quibus à parentibus extra nidũ eductis, satis est
si ter uel quater uolenteis illos aspexerint. Carpebant
ex unoquoq; quantũ satis esse uidebatur ad phrasim uel
constituẽdam uel ornandã, quæ tamẽ essent uel proprie
cognata naturæ, uel accõmodata materiæ quæ tractaretur:
sic & Celsus & Columella clari, nitidi pressi & elegan Corn. Celsus.
tes: in altero tamen egregia mundities, in altero flosculi Columella.
fortasse crebriores: imitationem in illis nihilominus uel
nullam, uel certe paruam es deprehensurus: geniũ pro-
pensionemq; naturæ eorũ quisq; sequebatur. Et si enim
homo omnium maxime uim obtinet imitandi, ut hinc &
multa & uaria discere possit, quod scribit Arist. in pro-
blematibus, eaq; de causa poëticam homini naturalẽ esse
primo, quẽ ea de facultate libro scripsit, est aperte testa-
tus: propriũ tamen & congenitum instinctum & pro-
pensionem animi nactus est ab ipso ortu, quam frangere
& aliorsum uertere est ipsam plane uiolare naturam.
Itaq; cum nostro in animo idea quædã & tanquã radix
insit aliqua, cuius ui ad quodpiam muneris obeundũ ani
mamur, & tanq̃ ducimur manu: atq; ab alijs quibusdam
abducimur, colere illam potius, quam incidere, amplecti
quàm abalienare operæpretiũ est: nihil enim nostræ cõ-
fulens felicitati, aut à uirtute alienũ, aut noxium nobis
impertijt ipsa natura: ideam igitur ut aliarũ uirtutũ, ita
& recte loquẽdi subministrat, eiusq; pulchritudinis af-
fingit animo simulachrũ: ad quod respiciẽtes, identidem
& aliena iudicemus & nostra. Neq; enim eam quisquã

propria improprie sic animi simplicitenda.

adhuc perfecte attigit, ut hac in re illud etiam possit dici, NIHIL OMNI EX PARTE BEATVM. Quandoquidē nō uni tantum, sed omnibus & uniuersis distribuit præclara sua munera, ut ex ipsa uarietate totius uniuersi pulchritudo constituatur. An putat frustra

Zeuxis. prudentem illū pictorē censuisse, omnia se uno in fœmi-

Cicero. neo corpore reperire non posse ad uenustatē, & in cassum putas prudentissimum oratorem eius industriam secutum, longe etiam illum præterisse iudicio: qui ut imaginem illam pulcherrimi eloquētiæ corporis effingeret, omneis delegit uiros facundia præstantes, cū ille quinq; solum Crotoniatas selegisset uirgines pulchritudine celebratas: nec satis illis fidens, formam ipsam, seu speciem absolutam eloquentiæ, nulli prorsus addictam, sola imitatione dignam existimarit: imitari itaq; eam debemus quam animo scilicet gerimus dicendi perfectā facultatē: qua & aliorum & nostra cum errata in obeundo loquendi munere, tum uirtutes etiā metiamur: siue ea ipsa penitus innata sit idea, atq; ab ipsa origine perfecta, siue tempore procedente multorum autorum lectione consummata. Ea fiebat ut M. Ciceronis aures semper Demosthenes non impleret. Ea ipsa patuinitatē in Liuio causabatur Asinius. Ipsa eadem & Brutus clumbem Ciceronem, quanquam amicum præcipuum, iudicabat: Alij Asianum, tumidū, redundantem, nimium, uiro molliorem: qua etiam factum opinor, ut nec aliquem unum scrupulosius imitandum uel Celsus uel Fabius præceperint: neq; etiam ipsi fuerant Ciceronem, quem maxime laudant, imitati. Quid enim causæ fuit, ut tot illos uarijs non

non solum in rebus, sed una eademq; in facultate diuersos dicendi artifices posuerunt in medium? nisi ut uel ab hoc, uel ab illo quod placeret magis decerperemus, siue impulsu acti naturæ, siue iudicio. Nam qui non ita censent, illud oro dissoluant, cur ij qui Ciceronem tam laudant, quàm qui maxime, illum ipsum tamen non sunt imitati, stilo scilicet & figura dicendi? An id scilicet facile non potuerunt, Celsus, Cecilius, Plinius, Fabius, alij Ciceronis seculo proximi? cum restarent adhuc tanquam reliquiæ, & inuiolatæ illæ quidem, puri, Romaniq; sermonis, ipsamq; latinitatem sugerent cum lacte nutricū? An ignorarunt imitandum esse, magno scilicet & excellenti ingenio uiri, qui & alijs de imitatione præcipiebant? Dicendum potius uidetur eos noluisse: ne si uoluisse quod non potuerant afferamus, uel tacito nos eorum opponamus gloriæ: qui quod illi non potuere uiri clarissimi, nos ipsi uel obtinuerimus, uel speremus. Dicturus est fortasse quispiam, eos qui magis nobis placent, esse magis imitandos: quod ego quidem non condēnarim: placeat præ alijs Plato, placeat Cicero, non opinione solum, sed stilo Platonicus, eos sequamur: Nam quanquam sua est cuiq; propria facies animi, sicut & corporis, ut duos omnino simi-
les non facile sit inuenire, minor tamen in animo nostro
cum aliquibus præ alijs est dissimilitudo, atq; per hoc fa-
cilius erit nobis uti similes euadamus: meminerimus tamē nos simias non esse oportere, quæ deteriora sibi deligūt ad imitandum. Sunt enim qui neuos, qui cicatrices, qui maciem, qui excrementa etiam effingere uelint, uel nulla, uel minima ratione habita & lacertorum, & uiuidi roboris,

Critici. & gratiæ: ab ijs non dissimiles, quibus magna est cura, ut rara quæpiam uocabula, quæ fortè aut Ciceroni exciderunt multa scribenti, aut uitio temporum fuere in eius libros introducta, adeo ut si ab inferis excitaretur, à se prompta negaret, gestientes surripiant: uel etiam quæ mancipes librarij integritatem lectionis, dum passim corrumpunt, ædidere: ipsi obseruent magna cum diligentia.

Rhetoricæ partes. Superfluum præterea uanumq; existimari debet, si ad omnem Rhetoricam portionẽ imitatio adhibeatur. Inuẽ-

Inuentio. tio enim tum laudatur magis, cum genuina est magis & libera: explodiq; solet quæ repticia iudicatur, nedum accersita. Vnde nam quæso illud, furem nõ poëtam fabulam dedisse? An etiam aliũde prodijt, ut illi omnes damnarentur, qui dum musarum & Apollinis haberentur ludi, aliorum imitatione sibi quæsiuissent unde probarent, & soli relata sit à criticis palma, qui ex sese, & ex propria penu eruditi prompserat obsonium animi: tametsi eo non

Dispositio. ita cõuiuarum gustus oblectaretur. Dispositio uero sequitur inuentionem ita, ut hic qualis fuerit, talem quo rite disponatur ordinem expetat, ne id quod effingis, quasi intellectile corpus orationis, aut uasta nimis, aut pusilla nimis, aut omnino præpostera membra deforment. Tua autem hic ut sit, necessarium dubio procul omni futurum arbitramur, eo´que maiori tibi fuerit adnitẽdum diligentia, à te ipso uidelicet, non ab alijs petenda: quo maioribus ingenij uiribus in ea perficienda opus est, si Plinio maxime crediderimus affirmanti, & barbaros etiam inuenire magnificè, & enuntiare: recte uero disponere & fi-

Elocutio. gurare non nisi eruditis concessum esse. Elocutio uero

num

num & ipsa sequitur inuentionem? quando diuersam ad materiam diuersa phrasis adhibenda est. Num & ipsa quoq; dispositionem comitatur: huic enim alia, illi alia tribuenda est: ita ut à te ipso omnis tandem pendeat oratio. Nam de memoria & pronuntiatione tacendum pu- Memoria.
to, quando earum neutra chartis mandetur: & alteram Pronũtiatio.
nulla existimatione tibi compares: sed ex matris (ut inquit Lucillius) bulga tecum feras: ut autem hic exercitatione perfici solet, ita exempla maiorum alijs partibus, quæ referri literarum monumentis queunt, opem ferre non mediocrem iure affirmauerim. Poteris enim inuẽtionem quapiam dere ab alijs traditam uel æmulari uel superare: poteris disponere melius, eloqui etiam ornatius. Neque enim quasi uetula mulier suis est uiribus parens effœta natura, ut nostro, scilicet hoc seculo quasi nimio partu lassata defecerit. Nec deus optimus maximus nostræ ætati non est largitus ingenia: utinam tam bene excolerentur, quàm bona sunt ædita: & non inanibus nugis ac fabulis, quasi glande & siliquis edendis dedita, sua alimonia fraudarentur. Ita enim macerata sunt nonnulla, & quasi tabe consumpta, alioqui suapte natura formosa, ut simulachri & cuanidæ umbræ magis, quàm uiui animi effigiem præ se ferant. Crescunt (ut mea fert opinio) uerius, quàm decrescãt ingenia. Multa enim quæ ad rerum spectant notitiam, & nostrũ seculum, & huic proxima nouere, quæ docta illa ignorauit antiquitas. Lingua certe ueteribus illis cũ Græca tum Latina quasi natiua adfuit: quam ab corũ libris petere nos oportet: quibus maior ea de re fit legitimæ laudis accessio. Illi enim uel nolentes,

& in

& in Hellade græcè, & in Italia latinè loquebantur: nō bis Italis qui latinè loquamur nedum græcè, id nostrā est partum & elaboratum industria: inde fiet, æquum rerum æstimatorem si sortiatur nostra ætas, posse eos, qui nunc mediocriter loquuntur præcipuis illis & antesignanis iure præferri, qui scilicet inter Gothos, Vandalos, Hunnosq; uersati priscam illam & tot seculis abolitam dicendi rationem aut tenent, aut tenere conentur imitatione continua. Qua etiam in re mira subtilitas, & fortè nimia. Nam nec cursu solum ueteribus similes, nec gressu, uel esse uel uideri uolunt quidam: sed ita incedere, ut eorum in uestigijs ponant uestigia. At si ueterum maiora uestigia fuerint, ut etiam corpora, num in illis minor pes firmabitur, an labascet, si solum maxime subudū fuerit? si uero illa nostris minora extiterint, num excludentur curiosi pedes, & frustrabuntur uoto? æquum enim uestigium quod omni ex parte quadret quis inuenerit? ni calceorum fortasis officina quæpiam è Romanis erutā ruinis formulas nobis quasdam subministrauerit. At quot ueterum pedes, tot calcei. Nec ambigas Bembe, etiam si antiqua sandalia in absconditis thesauris inueneris, & aptaueris tibi, te unquam propterea posse à criticis impetrare, ut antiqua credantur: efficiet hoc inuidia: semper simultas erit in causa, quo ad illam ipsam dies lōga præscripserit. Neque enim alia habebuntur quàm noua, hoc est non absoluta, nec omnibus perfecta numeris: quod quidē in signis cuenire persæpe sumus contemplati: quæ & si quando præstantiora fiunt quibusdam, quæ uetustis illis seculis exculpta fuere, nihilominus cum ut noua circūfe

circumferuntur, imperfectioribus posthabentur: tantum uana illa mille annorum imago quasi pestis inuasit hominum iudicia. Nam si uetera creduntur esse, si etiam spectator est animi dubius, antiquane sint, an minime, mira laus: nulla insurgit censura rigidior: at si compertum fuerit recēter ædita, prodaturq; etiam nomen opificis: tum mille Aristarchi, tum & sibila quādoq; erit audire: tum non tertius modo cadet de cœlo Cato: sed & Timon, atq; etiam Momus exurget ab inferis. Nouimus hominē scripsisse epistolas sub Ciceronis nomine, quæ non laudi solum, uerumetiā admirationi maxime fuerint: eundemq; ipsum epistolis Ciceronis suum adscripsisse nomen, demptis tantummodo ijs uocabulis, quæ prodere fallaciam possent: es ne Bembe crediturus? quòd illæ ipsæ Ciceronis epistolæ & rubras cæras, & uirgulas, & asteriscos, & obelos, & sexcentas censorias notas perpeti quiuerint nouæ inscriptionis causa: quæ tamen antea sub ueteri titulo fuerant nunquam satis laudatæ & celebratæ. In casum igitur fategerat ille prioribus in epistolis, dum uerba rimabatur: dum cæsa metiebatur, & membra: dum circuitus deligebat, dum numeros mandabat memoriæ, dum obseruabat lineamenta, ut quæ scribebat Ciceronis esse uiderētur: poterat enim paruo impēdio & labore id præstare titulus, & auferre. Sed illud quoq; ad nimiam auiditatem imitationis compescendam facere potest: quod mediocris etiam autoris scribendi genus, nedum Cic. non imitabile uidetur omni ex parte: si quæ de complexu illarum muneris loquēdi partium supra diximus, ad memoriam reuocentur: ubi enim inuentio, quæ quasi materia

ria orationis est, eadem non habetur: nec forma, nec quæ illam nexu inseparabili sequitur, dispositio cadē prorsus habebitur: si autem similis, quoquomodo: si dissimilis, nullo pacto conueniet. Quotum autem quenquam reperias, etiam si accersas, Aesopi gracculum pennis ornatum alienis, qui quæ aliorum sunt propria, eadem prorsus & impudenter cogitet expromere, & impudentius disponat, & effutiat impudentissime? sed fac eadem esse omnia: mox dimoue lineamentum, uerte membrum, uaria numerum, tolle circuitum omnem orationis, integritatem sustulisti: adeo constat illa coagmenta nec eis omnibus quæ sibi propria peculiariaq; adsciscit, ut ex illis ipsis eisdemq; solis, non alienis, non mixtis, non permutatis, confletur atque dissultet. Huc accedit scripti genus uarium, quod uariam quoque sibi uendicat phrasin: Ciceronis enim orationes, libri de Oratore, ad Quintum fratrem, de claris Oratoribus, & alij pleriq; magno eloquentiæ inundantur flumine, si non potius Oceano, sed ille ipse tam uastus fluuius uix irrigat Rhetoricos libros, & eos qui de uniuersitate, & de fato inscribuntur: idemq; ipse uix stillat in Topicis. Mutatur quoq; ætate mutata: & ab eodem Cicerone dicta est canescere oratio, quæ alia itidem est dum monet, alia dum respondet, diuersa quoque dum deprecatur, dum interpretatur, dum inuehitur. Varia item pro uarijs animi affectibus, & sæpe corporis, nedum rebus, quæ ipso sunt explicanda sermone. Hunc igitur unum dices imitandum, quem natura produxerit, ut in eo suas uires omnis experiretur eloquentia: eóque fieri ut miscere, cum ipse sit etiam uarius,

rius, ipsum Ciceronis filum queas: & quaque de re, quæ tibi dicenda tractandáque fuerit, possis ipsius more, & (ut sic dixerim) Ciceroniane loqui. At fortè ueritas esset inconnexo, ni duo illud aperte distraherent. Primū quod propterea quispiam non esset Ciceroni similis. Huius enim uerba etiam si loca mutent, erunt tamen uerba Ciceronis, non autem Ciceronis ea constructio, quam ipse non struxerit. Sed tanquam ex lapidibus illius alius murum confecerit: cui si quidpiam alienæ calcis & intriti misceatur: ne uero misceatur fieri nequaquam poterit, sed etsi lapidem lapidi iunxerit hærentius, aut minus nimióue plus in dolio uersauerit, nequaquam tullianus paries ille futurus est. Alterum est quod tacito uideris existimare, ut cæteri autores legitimi non sint naturæ partus, sed tanquam abortiui: ac, ut cum eis præclare agatur, ueluti octimestres infantes habendi. Si ita reris, si ita censes, dabitur prouocatio ad eloquentiæ magistros, antiquos illos quidem, & probatissimos: ipsum etiam appellabo Ciceronem: proposuerunt enim non unum quempiam, sed multos imitandos: nec id satis, ad ipsam ideam filum esse dirigendum præceperunt. Num igitur mihi quæso licebit, num & expediet uim Demosthenis, quanquam eam expressisse Cicero dicitur, in ipso potius Demosthene, ubi inesse illam non ambigitur, & demirari & imitari? Sic & copiam Platonis, & iucunditatem Isocratis à fonte puro, non à decurrentibus riuis, ubi ipsa miscetur eloquentiæ lympha, combiberc. Adde quod alio hic, alio ille charactere delectabitur, & alia afficietur figura dicendi: ut nec frustra, nec inconsulto

Chriæ. sulto uarios eiusdem rei dicendæ modos, quæ chriæ dici solent, ueteres illi, qui eloquẽtiæ tradidere præcepta, excogitauerint. Nec nequicquam habuerunt diuersa genera dicendi probari diuersitate uidelicet iudiciorum à diuersa humani temperamenti proprietate manantiũ: hinc amplum & angustum dicendi genus: hinc exile & tenue: hinc ex utroque permixtum: in quibus qui excelluerint, diuersi diuersam quoq; sibi gloriã parauerunt. Hinc & siccum & nudum, hinc succulentum & uario eruditionis colore uestitum: & hæc omnia introducta sunt duce natura. Erit enim ille suopte ingenio Laconicæ breuitatis amator, alius Asiaticæ fertilitatis auidus, hic Atticæ illius & aureæ mediocritatis æstuabit desiderio: Rhodio ille temperamento delectabitur: tot sunt uariæ animi uoluptates, ut etiam de numeris terminandæ clausulæ, & pedibus, multa sit inter antiquos, atq; inter Aristotelem & Ciceronem orta dissensio. Induebant animum illi uarijs habitibus, ceu ipsis quoq; uestimentis induimus corpora. Atq; ut in his non secus in illis uaria materies, uariæ figuræ, uarijq; colores & placebant olim, & nunc etiam placent: sunt enim nostra tempestate plurimi, qui panno uestiantur libenter, qui sit contextus ex lato illo Ciceronis stamine, & preßo Plinij subtegmine. Admittũt etiam tramam Celsi, & Columellæ: alij, quia frigus fortasse metuunt, conantur ut euoluant scrinia Carmentæ, unde peplum sarripiant aptandum sibi: Nec eo contenti, uetustos illos & Carioßos Romanorum augurum & Martiorum fratrum cophinos adeunt. Atq; cum resciuerint Catonem & Ennium ditasse patriam, in eorũ etiam

supelle

supellectilem prædabundi & populabundi penitus irruant: nec desunt, qui asinum cum existiment bellum animal, & aureum, de illius pilis sibi lacernam conficiant. Qui uero abalienati sensus hæc signa ducerẽt, artis medicæ regulis freti, audiant Hippocratem, ætati, tempori, consuetudini quidpiam dandum esse præcipientem. Sed ut in summa dicam: ut uarij sunt autores, & in suo quique genere probati, uaria quoque humani animi propensio: atq; adeo diuersæ in eadẽ etiam facultate ideæ speciesue dicendi, lata, pressa, mediocris, austera, dulcis: diuersáq; quasi fila diuersæ texendæ apta orationi: quibus de rebus apud probatos autores cum alios, tum maxime Dionysium & Hermogenem præcepta dantur, ad unam hæc omnia, quam in mente gerimus, ideam referenda sunt: & habenda est in consilio ratio, mixtioq; paranda talis, ut una ex omnibus, quæ nulla sit illarum, sed perfectißima tamen illa quidẽ, quoad fieri poßit, & conflctur & coalescat oratio: tantum abest ut quispiam unus usquequaq; sit imitãdus: quasi ille Deo præstaret Opt. Max. qui nobis usquequa q; imitandus non proponitur: neq; enim potentiam eius poßumus, nec sapientiam aut debemus aut poßumus omnino imitari: sed quam ille uoluit ex sole illo intellectili nostris mentibus illucescere, eam ipsam excolere operæpretium est ad ipsius dei manifestandam gloriam, ad accendendum nostris in pectoribus amorem diuinæ bonitatis: quæ quidem nobis, quoad uires nostræ queunt efficere, proponitur imitanda amore intentißimo, & officijs, qui de illo prodeunt: quibus & boni ipsi effi cimur, & umbratilis huius uitæ peracto cursu omnino

f felices.

felices. Hæc habui ad præsens Bembe de imitatione quæ dicerem, sex (ni coniectura fallor) aut septem horarum spatio, eoq; interrupto, ac sine liberis, stilo & memoria usi, quicquid sese obtulit arripuimus, atque compegimus. Scis enim me more tabellarij, mutatis etiam ad celeritatem iumentis, hucusque cucurrisse: sed neq; inficias iuero, me deprecari culpam, si qua occurrerint errata. Quare si hiulca magis & diuulsa, quàm sonora & pressa compositio: si fracta & stridula, quàm æquabilis aut numerosa uidebitur, ueniam præstes oro: sicut & poëticæ uenæ in edendis inter expellendam Venerem atq; Cupidinem carminibus aresceti nuper ut arbitror præstitisti. Qui enim fieri potest ut præter hæc etiam ab æquo non absoluar iudice, qui inter theologos atque philosophos nostrates istos recẽtiores, mente quidem plusquam subtiles, sed rubiginosa & plusquam barbara lingua diutissime uersatus, ad mansuetiora studia, ad rhetorica delinimenta, numerosq; poëticos interdum quodam quasi postliminio reuertor. Quibus in numeris & exculta illa phrasi à priscis illis ducta temporibus, si nostro hoc seculo inter eos qui nunc uiuunt, & nobis noti sunt, ipse tibi palmam non uendicasti (quod ego nequaquam obstinate negauerim) propior tamen, aut es, aut iam breui es futurus primo, quàm tertio. Vale.

Romæ Tertiodecimo
Calendas Octob. M. D. XII.

Petrus

PETRVS BEMBVS IOANNI FRANCISCO Pico S. P. D.

RECTE atq; amãter factũ abs te est, quod eius sermõis tuas partes, quẽ unà de imitãdi ratione nuper habueramus, etiam tuis ad me perhumaniter scriptis literis perferri uoluisti. Quãquã enim propter eximiã tuam in omni genere doctrinarum præstantiam, & meum summũ erga te amorẽ singula tua dicta inhæresceret penitus in sensibus cõsueuerint, atq; memoria mea: tamẽ ea ipsa prodita literis, & stabilius atq; diutius permanent, & facilius repetũtur. Tum accidere etiã illud solet, ut ea, quæ chartis mãdãtur, pleniora uberiora q; sint, quàm quæ homines inter se colloquuntur. Addit enim semper aliquid stilus & scribendi mora, crescitq; cogitatione ipsa oratio. Itaq; sermo ille tuus, qui me mirifice delectabat, cum te loquẽtẽ audiebã, idẽ perlectus in tuis literis, mihi sanè multo iocũdißimus fuit. Quibus omnino literis, quoniã me amãtißime prouocas, respõdebo, non tam quidem aduersandi tibi studio, quàm tuendi mei: neq; tam refellendæ tuæ sententiæ causa, quàm ne, quæ me rationes impulerũt, ut eos laudarẽ, qui quidem, quem scirent in eo scribendi genere, in quo sibi elaborandum esse duxissent, excellere ac præstare cæteris, illum sibi unum ad imitandum proponerent, eas turationes cognoscerem, quas tibi corã explicandi mihi sanè otium non

fuit. Sed antequàm illò ueniam, peto abs te, quoniam initio literarum tuarum ita scribis, uideri tibi imitandos esse omnes bonos: cur in reliquis earum ipsarum literarum partibus eos, qui aliquando imitati sunt, uniuersos uitupares, laudes nullum? Hoc si te propterea dices facere, quia malos quidem habeas, quos reprehendas: bonos, quos ornes, non habeas: primum id quidem ueri simile non est, imitandi artem esse aliquam, quæ laudabilis sit, ea uero arte qui sit recte usus, neminem unum inueniri: præsertim in tanta imitatorum frequentia, quantam necesse est & esse nunc, & fuisse antea omni tempore, & deinceps semper futuram. Imitandi enim uim atq; sensum, ac æmulatione quadam mixtam cupiditatem natura omnibus hominibus tribuit: quæ sedari & comprimi ratione quidem potest, euelli prorsus extirpariq; non potest. Deinde si tibi concedatur imitatum fuisse recte neminẽ, uideo enim tibi etiam Maronem ipsum bonum imitatorem non uideri: cur eam probas artem, in qua tametsi innumerabilia se clarissima ingenia exercuerint, laudem tamen boni artificis, atque nomen, tuo iudicio, nullum est eorum consequutum: ac planè cur non potius ad eorum te sententiam contuleris, qui affirmauerunt imitari non oportere, dãnaueruntq; quicunq; id facerẽt, & quoquo modo? Aequius enim fuerat, uel in illos te non inuehi, quorum artem antea probauisses, uel eam artem non probare, cuius amantis & studiosos homines tantopere fueras, tamq; multis uerbis improbaturus. Nam id quidem, quæ tua est in scribendo uis ac eloquentia, facilime assequeris, ut illos acriter ac uehementer insectere. Quam tu sententiam si esses

si esses sequutus, & tibi campum liberiorem disputandi patefecisses, & mihi laborem respõdendi tuis literis non attulisses. Reiecissem enim te ad Pauli Cortesij epistolã, bellam illam quidem, & cum argutulam, tum etiam grauem: qua is Politiani uicini sui, docti mehercule ac ingenioſi hominis, sed, ut mihi quidem uidetur, non multum prudentis, leuitatem fregit: qui Ciceronianam illam scribendi rationem atq; formam, à qua lõgiuscule abfuit, sese assequi nullo modo posse cum uideret, ad eos damnãdos, qui sibi illum exprimendum sumpsissent, quiq; omnino stilum imitatione aliqua colerent, se conuertit. Itaq; Paulus docte sanè ac prudenter illius dissimulationem reijciens, tibi etiam satisfacere potuisset, si cum illo sensisses. Nunc autem, cum affirmes imitandum quidem esse, uerum non unum aliquem, sed omnes bonos: hoc quemadmodum accipias, non intelligo. Nam si omnes ij, qui aliquo uno in genere boni scribẽdi magistri sunt habiti, pares inter se stili nobilitate scriptionumq; elegãtia extitissent, cõcedi tibi fortasse poterat id, quod dicis: non uni eorũ operam à nobis esse dandam, sed planè omnibus. Nũc uero, cum uniuscuiusq; ratio uel ingenij uel artificij uniuscuiusque cum ingenio tum artificio dispar esse dissimilimaq; reperiatur, sitq; alius alio præstãtior, quid esse causæ potest, quin, si melioribus operam dederimus, eosq; qui minus boni sunt, negligamus? An si inter illos, quicũq; boni dicuntur esse, unus est omnium longe optimus, lõgeq; præstantissimus, ut quæ singula insunt in cæteris, ea uniuersa in uno illo splendidiora etiã ornatioraq; cõspiciantur, eum unum multo omniũ maximum atq; summum recte imi-

tati cum fuerimus, nisi illos etiã, qui boni mediocriter habentur, imitabimur, nihil proficiemus? quasi necesse sit, qui Apellis more pingere didicerit, cuius artem reliqui pictores admirati, primas ei partes sine controuersia tribuerunt, illum etiam Polygnoti & Thymantis tabulas, à quibus docerẽtur, adhibuisse: aut eum, qui Lysippi excellens ac præclarũ fingendis imaginibus artificium expresserit, Calamidis signa rigida, uel etiam magis rigida Canachi fuisse cõtemplatum. Atq; illi artifices cum Alexandri uultũ imitari suis artibus cuperent, neminẽ alium intuebantur, mentem in eum unum suam atq; oculos intendebant. Nos, qui eius scripti simulachrũ, quod sit pulcherrimum & perfectißimũ, nobis proponere debemus, in quo effingendo studium & diligentiam adhibeamus, cum illud ante oculos habeamus, ad eorũ etiam, quæ non ita pulchra sunt, exprimendas imagines curam atque animum traducemus? Mihi quidẽ fallu Pice uidetur, qui sic existimat. Neq; enim ita formati à Dijs immortalibus sumus, ut cum suppeditare nobis ea, quæ prima sunt ualeamus, sectemur, quæ secunda sunt, multo minus, quæ sunt infra secũda: animus enim noster summũ quiddam semper atq; altißimũ suspicit. Itaq;, ut dixi, ualde miror, te nõ ita potius sensisse, ut alterũ eorũ statueres, uel omnino imitari non oportere, uel si imitandũ quidem esse duceres, non ad ea quæcũq; bona essent, sed ad illa tantummodo, quæ optima, quæque perfectißima haberẽtur, imitationis esse nostræ omnes neruos intẽdẽdos. Nam de ideis quod scribis, difficile quidẽ est tibi homini doctißimo, & in omniũ philosophorum disciplinis & scholis multa cum laude atq;

atq; gloria diu uersato, aliquid affirmanti non credere. Sed quam tu esse in animo tuo insitã atq; à natura tradi tam scribendi ideam atq; formam sentias, de eo ipse uidẽris. De meo quidẽ animo tantum tibi affirmare possum, nullã me in eo stili formã, nullum dictãdi simulachrũ antea inspexiße, quàm mihi ipse mẽte & cogitatione legendis ueterũ libris, multorũ annorum spatio, multis laboribus, ac lõgo usu exercitationeq; cõfecerim: ad quod nunc, cum aliquid scribendũ est, me cõuerto, uideoq; quasi oculis, sic cogitatione, quæ cõficiẽdo scripto opus sunt, unde sumam. Ante autẽ quàm in ijs, quas dico, cogitationibus magnopere essem uersatus, inspiciebam quidẽ in animum meũ nihilo sanè minus, quærebamq;, tanquam à speculo, effigiem aliquam, à qua mihi sumerem, cõficeremq; quod uolebã. Sed nulla inerat in eo effigies, nihil se mihi offerebat, nihil cõspiciebam. Itaq; siquid calamo uterer, siquid molirer, non lege, non iudicio, quo uolebam, sed temere inconstanterq; ferebar: nulla me earum, quas cõmemoras, idea speciesq; moderabatur. Neq; uero sum nescius, te id cum diceres, de Platonicorum sententia dicere: qui, quæ prima quæq; præstantia in natura rerũ sunt, uel esse aliquo modo poßunt, ad diuinas illas imagines speciesq; referebãt. Ac ego quidẽ sic existimo, in ipso mundi ac rerũ omnium autore & effectore Deo, ut iustitiæ, ut temperantiæ, ut aliarũ uirtutum, sic etiam recte scribẽdi speciẽ quandam, diuinam illam quidem, & cui nihil desit, atq; omnino absolutißimã existere: ad quã & Xenophon & Demosthenes, & ipse imprimis Plato, tum & Craßus, & Antonius, & Iulius, & maxime omniũ Cicero, cum

dictarent aliquid & scriberent, quantum consequi cogi-
tatione poterant, respiciebant: atq; ad illius quam animo
conceperant, imaginem, stilum, mentemq; dirigebant.
Idemq; nobis faciendum arbitror, conandumq; modis
omnibus, ut ad eius formæ simulachrũ scriptis nostris,
quoad fieri potest, quam rectißima, quanq; proximè acce
damus. Quòd si in animis etiam nostris ideæ illæ insidẽt,
quas dicis, singulæ in singulis, tum diuersæ inter se atq;
uariæ, quemadmodũ illas à natura ipsa ego pro mea, tu
pro tua, pro sua quisq; animi corporisq; temperatione
initio nascẽdi est sortitus, ab ijs si cura diligẽtiaq; nostra
stilũ flectere in quancũq; uolumus partẽ nobis licet, cur
non tu eum unum, qui sit omniũ maximus atq; summus,
imitari nos tãtummodo statuis oportere? Si nõ licet, cur
omnes bonos? Nam & inuidiosum quidẽ est, quod homi-
nes possunt assequi aliquo in genere optimũ, id omnibus
nõ proponere: & superuacuũ, omnes illis bonos imitãdos
esse dicere, quibus animũ à sua scribẽdi specie atq; forma,
quam à natura traditã posidẽt, facultas reuocãdi nõ est
data. Sinuero, quod est tertiũ atq; ultimũ, in quorundam
animis ideæ illæ atque species eiusmodi insunt, ut, si quis
studiũ adhibeat, uerti atq; inflecti facile possint, in quo-
rundam autem eiusmodi, ut nullo modo possint: eodem
tamen decidas, eodem labare necesse est. Nam neque ij,
quibus negatum est aliquò progredi, ad ullum imitatio-
nis genus inuitandi sunt: neque non ad optimum, qui quò
libuerit, si uolent, progrediẽtur, sunt incitandi. In alteris
de facultate ne quid detrahatur, adhibẽda cura est: ab al-
teris, ut inepti esse desinant, non est requirẽdum. Ac ego
illis

illis nec imitandum esse quenquam statuo, nec uero ullo
in genere quicquam conandum, qui prauo, qui tenui, qui
inerti ingenio sunt, qui duram atq; implacabilem natu-
ræ suæ quasi facie præ se ferunt: scribant ij mihi libros,
nec ne, uigilent, dormiant, nihil moror. Eos uolo, eos al-
loquor, qui si operam dederint, si animo nõ frangẽtur,
nihil non assequi poterunt, & quorũ ingenia si excolã-
tur, fructus uberes atq; magnos ferent. Neq; illud me
mouet, quod existimem, qui ita formati sunt, ut quibus
artibus animũ intenderint, quo in genere scribendi ela-
borauerint, sua illos spes nõ sit frustratura, esse nõ mul
tißimos. Neq; enim aut Ciceronem à scribẽdo deterruit
pulcherrimos illos de oratore libros, quod, qualẽ in eis
statuerit oratorem esse oportere, talem fortasse neq; le-
gerit ipse unquam fuisse, neq; audiuerit: aut Plato reip.
suæ leges propterea nõ perscripsit, quod eas ab usu atq;
consuetudine gẽtium longius abesse arbitraretur, quàm
quibus ullos populos, ullam ciuitatem esse usuram cõsi-
deret. Qui enim artem aliquam recte præcipiunt, nõ id
cogitant, ut omnes assequi eam possint: sed id potius, ut
qui potest, ita assequatur, ut nihil possit esse eo in gene-
re præstantius. Quicquid autem est eiusmodi, qui præ-
stanti ingenio nõ sit, aggredi fortasse potest: assequi atq;
perficere nequaquam potest. Itaq; mediocritatem inge-
niorum reijciũt: nihil enim mediocre idem atq; præstãs
est: quod cum sit, pusillum ad numerum res redigatur,
necesse est: præstãtia enim quæ sunt, eadem perrara esse
consueuerunt, rarioraq;, quo præstantiora. Præstantium
autem rerum paucitas mediocriũ multitudini non modo

non posthabenda, sed longe etiam anteponenda est: placetq; Nautes ille mihi Vergilianus, qui Aeneam admonet, quo in Italiam transmittere facilius possit, quicquid inualidum ac metuens pericli est, esse reijciendum: quod cum esset factum, poëta statim intulit, Exigui numero, sed bello uiuida uirtus: ex quo apparet, poëtarum sapientissimum non uirtutem modo in illis, quos commemorat requisiuisse, sed etiam uiuidam, hoc est præstantem. Quanquam quidem non ego ulla simulachra, quæ nusquam sint, quæq; uix animo percipi possint, quemadmodum illi duo, quos dico, fecerunt, nostris hominibus ad imitandum propono, cum eum unum, qui sit omnium optimus atque præstantissimus, illis propono: quod si facerem, nunquam me tamen illorum defenderem exemplis. Potest enim quilibet cum oratoriæ ac rerum publicarum ratione atque modo constituendarum, tum aliarum planè rerum artes & disciplinas ita tradere, ut ad excellentiorem statum atque formam uelit eorum cupidos progredi, quàm cuius simulachra oculis cernantur, manibusq; contineantur. Imitatio autem, quia in exemplo tota uersatur, ab exemplo petenda est: id si desit, iam imitatio esse ulla qui potest? Nihil est enim aliud totum hoc, quo de agimus, imitari, nisi alieni stili similitudinem transferre in tua scripta, & eadem quasi temperatione scribendi uti, qua is est usus, quem tibi ad imitandum proposuisti. Sed redeo ad illud, quod ais, imitandos esse omneis bonos: quæroq; item abs te, uelis ne nos ita bonos omneis imitari, ut eorum cuiuslibet uniuersam scribendi rationem exprimamus: an satis habeas, qua

Imitari quid.

qua quisq; in rationis suæ parte maxime bonus est habitus, eam nos tantummodo ab uno quoq; mutuari: atq; ita multis ex rationum partibus, quibus rationibus sunt alij permulti usi, unam conficere rationem integram, qua utamur? Vtro modo accipi dogma istud tuum malis, uide. Sed priore uelle te non est existimandum. Quid enim esse potest absurdius, quàm quas multi species scribendi, atque formas diuersas illas quidem inter se, multumq; sæpe differentes, sunt assequuti, suis eas membris omnibus suis partibus præditas una in scribendi forma ac specie uelle uniuersas exprimi atq; contineri? quasi existimes ex ædificandis unis ædibus multa ædium exempla uariarum imaginum atq; operum omni ex parte posse repræsentari. Altero modo si te dices uelle, primũ iam id quidem imitari non est, plurimis ex partibus, quæ stilum singulorum conficiunt, aliquam unam tibi sumere, ut cum id sæpius feceris, sumere autem ex multis potes, stilum inde conficias tuum. Excerpere id quidem potius dicendum est, aut si libet, etiam mendicare: ita enim degere homines in uictus mẽdicitate cõsueuerunt, ut quæ sibi opus ad uitam sunt, non ab uno, sed à multis petant. Imitatio autem totam complectitur scriptionis alicuius formam: singulas eius partes assequi postulat: in uniuersa stili structura atq; corpore uersatur. Neq; enim qui Salustianam breuitatem assequutus sit, uerbis autem illam aut obsoletis aut popularibus, structura etiam inconcinna cõglutinauerit, Sallustium imitari est dicẽdus: neq; qui Iulij Cæsaris in enarrandis rebus temperantiã expresserit, sermone uero planè rudi in illa exprimenda

sit usus

sit usus, is erit propterea dignus existimandus, quem Cæsaris imitatorem uocemus. Totum mihi oportet eius stili faciem exprimat, cuius se imitatorẽ dici uult, quem eo nomine dignum putem. Itaq; Cicero cum eius uerbi definitionem traderet, imitationẽ esse dixit illam, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo esse ualeamus. Sunt ne hæc Pice Tulliana uerba singula, quæ cõmemoro? Qui autem fieri potest, ut aliquorum similes esse ualeant ij, qui de singulis sumunt, quod exprimãt, de omnibus, ut nihil assequãtur? Deinde si tibi etiam de uerbo concessero, ambitiose enim tecum agere nihil uolo, næ tua ista imitandi multos ratio optari potius, quàm sperari, fingi, quàm teneri, ore dici, quã re perfici, facilius potest. Nam neq; qui eodem tempore imitari plures uult, quicquam ab ullo proficiet: distrahit enim mentem atq; sensum copia, neq; hærere animum sinit: cuius autem in nullo hæret animus, is omnino recte conficere nihil potest: neq; qui alium post alium aggreditur, ei, quam in uno curam intenderit, nõ in alio sæpe remittere necesse est. Capimur enim plæriq; omnes nouitate: à qua ita oblectantur quidã, ut etiam illa damnẽt, à quibus recesserunt. Accedit eodem scriptorũ diuersitas & dissimilitudo. Itaq; dediscendæ plærũq; sunt ueteres perceptiões, ut nouis perceptionibus curam atq; animũ adhibeamus. Placet enim in illo cum dignitate quædam quasi seueritas orationis: hilaritas in alio, comitas, lusus ipsi multum probantur. Horum cũ imitari alterũ didicerimus, alterum doceri aggrediamur reijcere multa cogimur eorum, quæ paulò ante summa industria, summo nostro

nostro labore sumus consequuti. Quamobrem frãgitur studium, debilitatur diligentia, cõtentio illa nostra, ardorq; omnis animorũ elanguescit atq; restinguitur, dum huc illuc, tanquam à fluctibus, sic in exemplorũ uarietate iactamur. Postremo quod tu singulas uniuscuiusq; bonas partis imitandas esse tantummodo existimas, id, si recte considerabis, quo modo assequi possis, non inuenies. Omnibus enim ex partibus uniuscuiusq; scriptoris conflatur coalescitq; id, quod in quoq; bonum atq; præstãs est: omnes eius uirtutes, & uero etiã uitia, si qua insunt in illo uitia, eam cõficiunt. Nam ut hominũ uultus alius morum benignitatem, alius alacritatem naturæ, animi alius fortitudinem, alius ingenij fertilitatem, alius maiestatem, alius uenustatem præ se ferunt: eæ autem singulæ indoles non ex oculorum, aut ex superciliorum solummodo forma, aut oris, aut genarũ, aut cæterarũ ex aliqua partium qualitate, uerum ex omnibus sui quæque uultus partibus atq; membris sunt constitutæ, ut si quis aliquam pictor imitari coloribus uelit, is singulas eius faciei partes, cuius est ipsa indoles, ante exprimere cogatur: ita mehercule in scribẽdi rationibus insunt eæ, quas laudamus, siue uirtutes, siue lumina scriptorum singulorũ: quas profecto uirtutes præstare nostris in scriptis minime possumus, nisi etiam uniuersas illas, quarũ sunt ipsa lumina, scribẽdi rationes præstemus. An tu candorem illum puritatemq; sermonis, quam in Iulio esse maximam atq; mirificam uidemus, imitari te posse existimabis: nisi & temperamento fueris usus tanto, quanto ille maiore usus est, quàm unquam alius propterea, quia

ipse

ipse de se scripsit, ne aut odio in scribẽdo uideretur, aut cupiditate ulla duci? & neglectum eundem eloquutionis expressseris, qui est ab illo uel necessitate institutus, quoniã plurimis agẽdis maximis difficilimisq; rebus occupatus diligentiã in scribendo maiorem adhibere non potuit, uel accersitus industria, ne plane crederetur potuiſſe, ut existimarent homines multo plus illũ gratiæ scriptis suisse acquisiturum suis, si plus ei temporis ad scribendum bellicarum rerum occupatio suppeditauisset? Atq; ipse quidem candor non ex sese, sed cum ex alijs, tum ex his duabus præcipue partibus constare mihi uidetur, quas dico. Has si tu duas parteis non præstabis, candor iam ille tantopere laudatus nunquam mediusfidius exprimetur: sin præstabis, uoles autem etiam Ciceronianam illam maiestatẽ scribendi assequi, quam omnes laudibus usque ad cœlum ferunt: neq; hoc, quemadmodum optabis, efficies: & illud, quod effectum iam erit, perturbabis. Quantum enim addes ad alterum, tantundem ex altero adimas necesse est. Ita quæ per se atque seiuncta eximia utraq; præclaraq; habentur, eorum neutrum, si permisces, suam pristinam faciem dignitatemq; retinebit. Quod si & candorem Cæsaris, & maiestatem Ciceronis, item & Sallustij breuitatẽ, & ubertatem Liuij, & candorem Celsi, & diligentiam Columellæ, si denique quod in unoquoq; scriptorum egregiorum proprium esse lumen, tanquam in uultu indoles, conspicitur, ea omnia præstanda esse statues scriptis tuis, uereor, ne non tam quidem imitari illos uoluisse, quàm illudere, neq; tam assequi, quàm peruertere uidea-

re.

re. Quam tamen si effugies calumniam uoluntatis tuæ, illud certe non euitabis, quin appareat, neminem te illorum nõ dicam recte assequi, sed etiam effingere mediocriter potuisse. Deniq;, si quis Deus id, quod sponte nostra facere nullo modo possumus, te doceret, artem uidelicet quandam nouam ac planè diuinam, qua imitari multos calleres, quemadmodũ præcipis: tamen esset uerendum, num illa sanè arte tibi esse utendum statueres. Qui enim fieri potest, ut qui multos assequi una scribẽdi ratione uult, eius oratio non dissimilis, non impar, nõ sibi diuersa inconstansq; sit: nõ inconcinna, non parum cohærens, dum huius lenitatem, illius uero ardorẽ, alterius ornatũ, alterius negligentiam, quæ quidem interdũ, ut in muliere non fucata facies, sic in scribente gratior est: sexcenta præterea alia uaria multumq; differentia scribendi genera qualitatesq; complectitur? Ac mihi quidem uetustissimi poëtæ finxisse Protea uidentur, cum illum modo aquam fieri, modo ignem, modo belluam dicerent, nunquam tamen eodem aspectu plus unam formã præ se tulisse: non solum quia id posse fieri non existimabant: sed etiam propterea, quod, quo modo diuersæ facie res inter seq; uariæ apte coniungerentur, non uidebant. Sed iam de tuis literis hactenus: uel potius de earum literarum parte, ad quam quidem respondere me operæpretium duxi. Nam ad omnes, neq; multum necesse fuit, & hæc ipsa satis multa esse possunt, præsertim tibi, qui non modo ea, quæ scripta sunt, qualia sunt, recte perspicies: sed illa etiam, quæ scribi in hanc sentẽtiam possunt, ex ijs, quæ leges, per te ipse facile cõsiderabis

rabis. Venio igitur ad illam partem sermonis nostri, in qua ea mea sententia fuit, ut dicerem, eos mihi uehementer probari, qui prosa oratione scripturi, Ciceronẽ sibi unum ad imitandum proponerent: heroicis carminibus, Virgilium. In quam omnino sentẽtiam non sanè, ut primum eiusmodi res tractare animo cœpimus, statim adducti sumus: sed post multas cogitationes, ac per quosdam quasi gradus ad eã acceßimus: ut non temere illa inuẽta finẽ progrediendi feciße, atq; in ea quieuiße uideamur. Nam initio quidem illud mihi sæpe ueniebat in mentem, ut in philosophiæ opinionibus atq; sententijs, sic in scriptorũ generibus & stilo nullis nos legibus subijci, nemini addici atq; astringi oportere: sed quod in quoque probaretur, id sequi: quæ profecto sententia tuæ fuiße sententiæ similis atq; cognata uidetur. De qua quidem me tentantem conantemq; eo in genere toto multa illæ tandem rationes depulerunt, quas superius, te ut etiã de tua deducerent, si possent, collegi. Itaque ea sententia deiectus ad illud me contuli, ut ducerem æquius eße, & profecto conducibilius, nouam intactamq; ab alijs rationem, ac planè suam quenq; conficere scribendi: idq; putarẽ omnes homines, niſi inuidi atq; maleuoli eßent, laudaturos. Quod cum placuiße, uellem autem, quantũ in eo possem, experiri: omnis nostra cogitatio, diligentia, studium, omnis denique noster labor irritus atq; nullus fuit. Nihil enim inueniebam, quod non uel ab aliquo ueterum scriptorũ stilo hauſtum uideri facile posset: uel omnino, si id effugeram, tamen cum ad illorum scripta conferebatur, mihi non summopere displiceret: quippe

quippe, quod uenustatem sermonis, proprietatem, maiestatem eorum sæculorum non redolebat: nullũ antiquitatis ueſtigium, nullam notam referebat. Ad hanc frustrationem laboris nostri illa cogitatio acceßit, quod animaduertebam eos, qui se neminem imitari profitebãtur, partim scribendo parum admodum profeciße, partim etiam suis cum libris atq; scriptis planè inuisos & despectos iacere. Quam ob rem ea etiã sentẽtia damnata, aliam inire rationem statuimus: quæ quidem eiusmodi fuit. Volo autem singulos tibi animi mei motus, consiliorumq; uarietates perscribere: ut si aliqua ex parte prodeße tibi error meus poßit, ea ne celere. Nam quoniam ita natura comparatum uidebam, ut quotiens magnum aliquid atque arduum moliri homines cuperent, eius si facinoris exemplum haberent aliorum, qui idem aliquando eßent conati, ea re multum illis curæ ad id, quod aggredi statuißent, multum laboris, multum etiã ambiguitatis, multum deniq; difficultatis demeretur: cogitare cœpi, ijs in studijs, quibus semper dediti fuimus, optandum eße, ut quem quisq; imitari poßet, qui scribere aliquid cuperet, ne deeßet. Itaq; siue ut in itinere cõficiendo, cum duces nacti sumus, securiore animo uiam ingredimur, sic in reliquis rebus alacriores ad illa sumus quorum doctores & magistros habemus: siue etiam ad omnem excellentem laudis & gloriæ cupiditatem nulla re magis, quàm aliorum æmulatione incitamur: mihi quoq; idem faciendum putaui, cũ poëticis in studijs tum in oratoria disciplina, quod permultos feciße intelligebam, ut in utraq; earum artium & ducem, quem sequerer, &

rer,& gloria illustrem,quẽ æmularer,eligerem,mihiq; ipse quasi signum proponerem, ad quod quidẽ conatus omnes nostri cogitationesq; dirigerentur. Id cũ deliberauissem, magna me hæsitatio tenuit: deberem'ne eos, qui mediocritatem non excederent, an illos potius,qui essent omnium eminentissimi,statim initio aggredi:quos omni studio colerẽ,ad quorumq; similitudinẽ me quãdiligentissime compararem. Nam si animum ad summos adiecissem,illud uerebar,ne me uel rei difficultas ab incepto deterreret,uel certe frangeret suscepti oneris magnitudo:cum me parum proficere optimorum scriptorum longeq; præstantissimorum exemplis comparationeq; cognoscerem:sin aũt mediocribus me tradidissem, equidem sperabam fore,ut cum ab illis quantum uellem profecissem, & facilior mihi esset,& planè tutior ad eos transitus,qui primi haberẽtur. Sed angebar animo, quod,ut odore nouum uas, sic quo primum rudimento stilus imbueretur,permagni interesse audiebam:mentem etiam ac cogitationem meam multo libentius in summis excellentibusq; uiris fixam erectamq; detinebam. Vicit tamen siue timor,siue imbecillitas planè nostra uoluntatis propensionem,qua trahebar. Itaq; dedidi me ijs magistris instituendum,quorum scripta nõ tam laudarem, quod bona,quàm reciperẽ,quod paratiora optimis cõmodioraq; ad imitandũ uiderentur. Eos igitur acerrimo studio summaq; diligentia cum tam diu essem sectatus, quoad mihi uideretur me eius,quod cõcupieram,magnã esse partem consequutum:ad illos me cõuerti,quos esse facile principes omnium hominum testimonio sentiebã: ut eos

ut eos item sequerer, animumq; meum atq; mentem ad ipsorum rationes hauriendas imbibendasq; traducerem. Id cũ sedulo etiã atq; etiam experirer,mea me delusum spe sanè atq; deceptum cognoui. Non enim solum faciliorem mihi eorum imitationem aliorum scriptorũ imitatione non esse factam, sed multo etiam difficiliorem: præclusosq; ad eam aditus potius,quàm patefactos uidebam. Nam quam mihi usui putabam fore insumptã in exprimendis mediocribus operam,ea sanè impedimento fuit. Animus enim iam noster diligenti exercitatione illorum scribendi rationibus eruditus,atq; assuetus,eundem morem diu retinuit:à quo quoniam aberat is,quem de optimis hauriri oportebat,contra,quam existimaueram,fiebat,ut scilicet multo minus ad eos exprimendos essem idoneus,quàm si me nunquam mediocribus tradidissem. Quare multis me meis laboribus id unum esse assequutum cognoui, ut imitari summos incipere mihi certe ne tum quidẽ liceret:propterea quod ea didicerã, animumq; meũ ijs quasi maculis infeceram,quibus residẽtibus perfectæ rationis ulla in eo depingi recte facies imagoq; non posset. Deleri uero ea, quæ quis diuturno studio in animum induxit suum,non tam sæpe facile est, quam oportet. Sed nihil est profecto tam difficile tamq; durum,quod non labore nostro posse uinci superariq; uideatur:præsertim si in eo,quantũ facere & consequi possumus,cõtendamus. Itaq; summa à nobis adhibita diligentia è memoria tandẽ nostra deletis penitus ijs,quæ alte tunc imitatione non optimorũ insederant in ea rationibus,omne meũ studium ad illos cõtuli optimos atq;

ſummos, quos dico: in quo quantũ profecerim, ſi me roges, ſanè nihil tibi reſpondebo, præter hoc unũ, mei me cõſilij non pœnitere, præſertim cum eorũ ſcripta lego, qui aut nullum, aut omnes, aut non tantũ optimos effingere præſtareq; uoluerũt. Sed nõ debebis tu quidem ab hac capeßenda ſcribẽdi ratione abſterreri, etiã ſi minus tibi id, quod alijs perſuadere cupimus, uidemur eſſe ipſi conſequuti. Non enim quantum potuimus, in eo impendimus uel temporis, uel laboris: quippe, qui etiam uerna culo ſermone quædam conſcripſimus cum proſa oratione, tum metro planè ac uerſu: ad quæ quidem conſcribenda eo maiore ſtudio incubuimus, quòd ita deprauata multa atq; peruerſa iam à plurimis ea in lingua tradebantur, obſoleto prope recto illo uſu atq; proprio ſcribendi, breui ut uidcretur, niſi quis eam ſuſtentauiſſet, eo prolapſura, ut diutißime ſine honore, ſine ſplẽdore, ſine ullo cultu dignitateq; iaceret. Quare non oportebit te exemplũ à noſtris ſcriptis capere: ut quantũ nos Latino ſermone optimis imitandis æmulandisq; profecimus, tantũdem putes alios, nec eo amplius, ijſdẽ artibus poſſe proficere: Sed id potius cogitare, cum nos certe aliquid ea ſimus uia cõſequuti, ſi modo id aliquid eſt, quod à nobis confectũ eſt, qui quidem aliàs etiam ſcribendi uias ingreßi ſumus, illos, qui nihil agere, nihil conari aliud ſtatuent, præter id unum, in eo planè eſſe, quæcunq; uolent, conſequuturos. Habes omnẽ rationem conſilij mei, quoq; pacto in eam tandem ſententiam, quæ tibi quoq; uellem probari poßet, uenerim: quàm perplexis cogitationibus, quibus mæandris, uides: in qua porrò adhuc eo liben

libentius conquieſco, quòd alijs prius tentatis omnibus diligenter rationũ uijs, ea me, tanquã portus ex longo errore diu iactatum excepit. Hanc qui & initio ingredi poterunt, & ingreßi nunquam ſe ab ea deflecti ſinent, quemadmodum illi, qui in curſu nihil offendunt, celerius curriculum conficiunt, quàm qui lapſi aliquoties ſunt: ſic ipſi ad metam citius ſine ulla offenſione peruenięt: quamcunq; ijs metam, ſuũ ſiue ingenium, ſiue induſtriã, ſiue omnino utrunq; ſtatuerit. Quod profecto etiã ſub fortuna poſitum, atq; caſu interdũ uidetur: ita multa in uita ſæpe accidunt, quæ auocent ab inſtituto itinere animum aliorſumq; quàm oportet, ducant. Sed illud tenere omnes debebunt, & quantũ in quoq; eſt, niti atq; perficere, qui aut oratoriæ, aut poëtices ſtudijs delectabuntur: ut cum Ciceronem, tum Vergilium ſemel complexi nunquam dimittant: nunquam ullis aliorum ſcriptorum illecebris ab eorum imitatione æmulationeq; reuocentur. Qui ſi nõ ita omnibus artis atq; ingenij luminibus abundarent, ſi non uniuerſis ſcribendi uirtutibus præditi cumulatiq; conſpicerentur: eſſent autem ipſi cæteris una tãtũ uirtute probatiores: tamẽ eos nos unos ſequi tantummodo imitariq; dicerem oportere propterea, quod uicinius ad perfectam rationem illis ducibus, quàm ullis alijs, progredi & pertẽdere poſſumus. Nũc uero, cum nulla omnino uirtus, nullum ſcribendi lumen, nulla egregia indoles, nulla laus in ullo ſit, quæ non in utrouis eorum ineſſe, longe etiã præſtantior atq; abſolutior reperiatur: multo id nobis erit conſtantius, multo diligentius faciendũ: ne ſi alios imitandos ſumpſerimus, uel

praui iudicij, uel imbecilli animi notam subeamus: cum aut in eligendo non prudentes, aut in aggrediendo timidi fuisse uideamur. Nam de Virgilio quidem nemo ambigit, omnes in uno illo omnium poëtarum, de Latinis loquor, inuenire posse uirtutes summa singularíq; dignitate, addunt etiam admirabiliores multo singulas & præstabiliores: ut si natura ipsa hominum rerumq; omnium parens ea loqui uersibus uoluisset, quæ ab ipso perscripta sunt, nec melius affirment, nec omnino aliter fuisse loquuturam. Ciceronem quidam aiunt uerbosiorem esse interdum, quàm necesse sit: præsertim cum ab eo de rebus à se se gestis, deq; consulatu illo suo sermo inducitur: cæterum illum non modo omnium eloquentissimum fuisse, sed ab eo eloquentiam ipsam esse genitam, atq; natam putant. Ego uero id neq; uituperare audeo: potest enim illi concessisse sæpe dignitas sua, aut inimicorum improbitas, aut reipub. status aliquis, aut alia omnino causa: quare quæ aliquibus superuacua in legendo uidentur, ea in agendo necessaria fuisse à multis poterunt existimari: Neq; defendere magnopere laboro. Id enim si peccatum est, non stili culpa, sed animi uitio contractum est: addo etiam, si uis, iudicij quadam peruersione: dum quæ ab ipso prætercunda silentio fuerant, ea illi digna uisa sunt, quæ recenserentur. Stilus uero & scribendi ratio eandem illam egregiam præclaramq; semper indolem retinet, eundem orationis splendorem & maiestatem præfert. Quamobrē non tam quidem accusandus esse uidetur, si modo accusandus est, quòd ea sæpe commemoret, quæ à se reticeri æquius

Cicero uerbosior.

fuit,

fuit, quàm laudandus, quòd ita semper loquatur, ut commemorari aptius non queant. Quid si ijdem etiam parum constantem fuisse illum dixerint, aut omnino imbecilliorem, quam uel ratio, uel eius dignitas postulabat: num erit nobis propterea ab imitatione repellendus? Mihi planè, si idem sentiam, quanquam quid ego male mehercule sentiam de tanto uiro? sed si ego quoque idem sensero, mihi eius fortasse uita non usquequaq; probabitur: orationis autem & stili ratio nihil improbabitur: qui esse optimus, in uita non optima potest. Tametsi id quidem etiam si orationis esse uitium iudicetur, nō ego huius imitationis aut ita partis extendo, præstanda ut uitia sint: nec solum ut in facie neui, sed ulcera etiam & cicatrices sint exprimendæ: quod qui faciunt, merito ab Horatio eo, quem tu locum affers, irridentur: aut modum præfinio sic, ut si quis tam præstans ingenio est, tam industrius, tam etiam felix, ut anteire magistrum possit, tamen id fieri negem debere: cumq; is illum cæteris in rebus æquauerit, si prudentiam adhibere maiorem uolet, non probem. Mihi quidem & Phidias & Polycletus probantur: quorum alter Eladum sculpendis, alter Ageladem fingēdis imaginibus, quos habebāt magistros, superauerunt: & Apelles, qui quidē in pictura artificio Amphilum præceptorem suum longissimo interuallo post se reliquit. Itaq; ualde mihi illud exoptandum esse uidetur, ita animatum, ita instructum esse quempiam, spes ut illum sit omnium hominum eloquentissimum futurum: quod etsi longe maius atque præclarius est, quàm quod temere sperandum esse uideatur:

nulla tamen naturæ lex, nulla præscriptio prohibet, con spici unquam ne possit. Etenim quemadmodum Cicero inter Latinos extitit, qui unus omnes, quicunque ante illum boni scribendi magistri fuerunt, excelleret, quod quidem magnum atque diuinum fuit: sic profecto alius existere aliquando poterit, à quo cũ reliqui omnes, tum etiam ipse Cicero superetur. Id autem nullo modo accidere facilius potest, quàm si, quem anteire maxime cupimus, eum maxime imitemur. Absurdum est enim confidere, nos aliam inuenire uiam posse, quæ melior sit, quàm est illa uia, quam Cicero, non tam quidem inuenit ipse, quàm ab alijs inuentam ampliorem & illustriorem reddidit: præsertim cũ quo tempore id fieri necesse est, quantum ipsi planè possumus, nondum exploratum habeamus. Quod si, quem maxime imitati fuerimus, etiam assequemur, tum adhibenda cura erit, ut illum anteire ualeamus. Sed omne nostrum studium, omnis labor, omnis nostra cogitatio in ijs assequẽdis, quos imitamur, maxime omniũ est insumenda. Non est enim tam arduũ eos superare atque uincere, quos assequutus sis, quàm assequi, quos imitere. Quare hoc in genere toto Pice ea esse lex potest: primum ut qui sit omnium optimus, eum nobis imitandum proponamus: deinde sic imitemur, ut assequi contendamus: nostra demum contentio omnis id respiciat, ut quem assequuti fuerimus, etiam præteramus. Itaque duas illas in animis nostris egregias plurimarum maximarumq; rerum confectrices æmulationem atque spem habeamus. Sed æmulatio semper cum imitatione coniuncta sit, spes uero ipsa nostra non tam quidem

dem imitationem, quàm successum imitationis subsequi rectissime potest. Ac Ciceronis quidem imitatio omnibus, qui pedestri oratione scribere aliquid uolent, opportuna esse poterit, quacunq; illi de re atq; materia sit scribendum. Idem enim stilus aptari rebus innumerabilibus potest. Nec audiendi sunt, qui existimant Plinianam de natura rerum historiam Ciceroniano scribendi modo atq; uia tam cõmode explicari non potuisse, ut ab ipso est more illo suo explicata: quod oportuisset in infinitam magnitudinem opus excreuisse, si ad illas multiplices innumerabilesq; res, de quibus erat scribendum, exuberantiam Cicero suam ornatumq; sermonis adiũxisset. Neq; enim in omnibus eius scriptis, cum idem sit stilus, eadem tamen amplitudo inesse, idem uerborum apparatus conspicitur: sed quædam uberiora sunt, & tanquam succi plena: quædam exilia, & suo tantum robore nitentia, ut esse quasi sine cortice uideantur. Neq; si crescere eorum librorum magnitudo debuisset, non propterea fuissent ipsi nobis multo etiam gratiores: cum quanto plus ab eius calamo atramenti, tanto plus ab ingenio atq; artificio dignitatis & pulchritudinis hausissent. De Vergilio uero non idem possumus dicere, ut idoneus sit, quem, qui carminibus delectantur, imitari omnes queant. Neq; enim qui aut elegos, aut lyricos conficiũt uersus, quiue uel tragœdiarum, uel comœdiarum scribendarum studio detinentur, horum ullos Vergiliana carminum structura, numerus, ratio ipsa multum iuuabit. Sed imitentur ij quidem eos, quos habent principes, singulis in scriptorum generibus singulos: atque illis assequendis superan

disq; sese dedant. Quod profecto nos aliquando fecimus, ut in elegis pangendis, qui optimus eo in genere poëmatis nobis uisus est, cum imitaremur. Heroicis autem conscribendis carminibus qui se dederit, huic certe erit Vergilius ediscendus, ebibendus, & quammaxime fieri poterit, exprimendus, quemadmodum coràm tibi dixeram mihi uideri. Atque hanc quidem cum Vergilij, tum Ciceronis, tum aliorum excellentium in suo cuiusque genere scriptorum expressionem non ita intelligi uolo, ut præter stilum & scribendi rationem, uti autem me ijsdem sæpius uerbis non pœnitebit, nihil omnino à quoquam sumendum existimem. Nam & licuit id quidem certe omnibus, & semper licebit. Quis enim opus legitimum conficere potest ullum, qui nihil mutuetur, nihil à quoquam sumat, quod scriptis inserat atque interspergat suis? Quis non aut sententias, aut similitudines, comparationesque, aut alias scribendi figuras atque lumina? quis non aut locorum, aut temporum descriptiones, aut ordinem aliquem ac seriem? quis non etiam aut belli, aut pacis, aut tempestatum, aut errorum, aut consiliorum, aut amorum, aut aliarum omnino rerum exemplum aliquod ab ijs capiat, quos multum perlegerit, quos diu in manibus habuerit cum Latinis, tum Græcis, tum certe etiam uernaculis, ut sunt nonnulli excellentes in ea lingua uiri? Itaque liceat, quicunque id facere uult, ut semper licuit: sumantque ab alijs, qui scribunt, quod uidebitur: sed parcè id, & pudenter faciant: non sanè, quia sumere etiam recte multa nequeamus: possumus enim, & multi magni atque clari uiri idem fecerunt:

fecerunt: sed propterea, quod præclarius est illa omnia inuenire nos, & quasi parere, quàm ab alijs inuenta mutuari. Maxime uero earum rerum ratio tum probatur, laudabilisque est: si id perficimus, ut quæ mutuati sumus ipsi, ea splendidiora illustrioraque nostris in scriptis, quàm in eius, à quo sumimus, conspiciantur: ut non minor in exornando laus, quàm in inueniendo fuisse uideatur. Neque enim mihi placet Attilius, qui Sophoclis Electram optime scriptam, male transtulisse dicitur: sed noster Maro, qui ab Hesiodi Georgicorum libris multa sumens, atque in suos transferens, ea omnia reddidit meliora. Quanquam quidem eius generis ita multa Vergilianos omnes libros referserunt, ut appareat, non tam illum, quod ex se promeret, desiderauisse, quàm quod anteiret, ex industria quæsiuisse: multoque plus in uictoria gloriæ, quàm in inuentione posuisse uideatur. Qua te quidem de re omni eo monitum uolui, quòd sunt quidam, qui non solum ea, quæ ad stilum scriptionemque pertinent, sed illa etiam, quæ dico, quæque de genere alio sunt, cum sumuntur, uno imitationis uerbo includunt. Qui quidem mihi Ciceronem eo, quo supra commemoraui, loco legisse parum uidentur, ubi ille, quid imitatio sit, definit. Nam si ea profecto imitatio est, qua impellimur, ut aliquorum similes in scribendo esse ualeamus: in imitatione autem non stili modo, sed etiam materiæ, ordinis, sententiarum, aliarumque planè rerum extra stilum positarum ratio includitur: quid est, cur non ego Aeneæ, Ascanij, Didonis, Latini, Turni, Lauiniæ tantum mutatis nominibus

bus Vergilij Aeneida mihi totam ſumam? Quare ſi nolunt ij parum hærentia uideri dicere, aliud ſumere, aliud eſſe exiſtiment imitari: & cum Heroicorum Catulli uerſuum rationem imitatum fuiſſe Vergilium dixerint, ſi modo id uolent dicere, tum ſi eum affirmabunt cum ab illo, tum à cæteris uel Latinis, uel certe Græcis non poëtis modo, ſed etiã oratoribus ac philoſophis multa ſumpſiſſe, ueriſſime pronuntiabunt. Ac mihi quidem ipſe interdũ uideris, cum tuas literas lego, ita ſenſiſſe, ut utrum quis aliquem imitetur, an ab illo ſumat, quod in ſua ſcripta transferat, differre nihil duxeris. Quod ſi eſt, equidem lætor, unius tantummodo uerbi interpretatione mutata rerum non minimarum, neque ſanè ſpernendarum, inter nos magna ex parte controuerſiam poſſe finiri: cum hoc certe modo propè idem, quod tu, omnes eſſe bonos imitandos facile dixero. Quid enim mihi eſſe aut propter noſtram beneuolentiam iucundius, aut propter aliorum exiſtimationem de tua doctrina laudabilius poteſt, quàm nulla me in re abs te magnopere diſſentire, homine multarum maximarumq; rerum diſciplinis erudito, ſummo ingenio, ſumma integritate prædito, & in ſecunda fortuna temperato, in aduerſa erecto, atque in omni uita magno ac probato uiro? cuius tam multi leguntur iam habenturq; in manibus egregie perſcripti libri, ut me non ſolum opinione hominũ facile uincere, ſed etiam obruere ſcriptis poſſis. Sinuero aliter ſe res habet, tamen gaudeo nullas inter nos opinionum ſententiarumq; diuerſitates & controuerſias eſſe tantas poſſe, tamq; graues, quas profecto & mea ſumma in te obſeruantia, & tuus

tuus erga me amor non leuiſſime ferat: præſertim cum de amore librum conſcribas: de quo qui cæteros doces, non uereor, ne illud non didiceris, amandam eſſe imprimis ueritatem: idq; qui faciat, in eo neminem lædere, aut etiam qui ſe facere exiſtimat: nam id quidem in multis credi, quàm ſciri, facilius poteſt. Quanquam non ego is ſum, qui me falli non putem poſſe: præſertim cum Ariſtoteleos tam multis in locis libros, atq; uniuerſam prope antiquorum philoſophiam abs te reprehendi uideam. Fieri enim poteſt, ut quemadmodum ego recte me ſentire exiſtimo, qui tibi uideor à ueritate abeſſe longiſſime, ita tu recte ſentias, cum mihi tamen uideatur ſecus. Neq; illud mihi aſſumo, ut his literis te atq; cæteros, qui aliter ſentiunt, ad meam opinionem traducam. Quid enim eſſet ineptius, quàm cui aut Maro aut Cicero diuina illa ſuorum ſcriptorum tot atq; tantorum maieſtate imitãdos eſſe ſe non perſuaſerunt, id ei putare me una mea epiſtola perſuaſurum? Eſt tamen humani animi, &, ut ego arbitror, non contemnendi, qua ipſe ueriſimilitudine dubijs in rebus cognitioneq; digniſſimis ducatur, quamplurimos uelle certos facere, ut aut reprehenſione aliorum ſe corrigere, aut comprobatione confirmare poſſit. Id me unum uoluiſſe ut exiſtimes, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Cal. Ianuarijs. M. D. XIII. Romæ.

Petri

Ho. 98. 17. Vbr. Lutetia Paris.

PETRI BEMBI DE AETNA AD Angelum Gabrielem Liber.



ACTVM à nobis pueris est, & quidem sedulò Angele: quod meminisse te certo scio: ut fructus studiorum nostrorum, quos ferebat illa ætas non tam maturos, quàm uberes, semper tibi aliquos promeremus: nam siue dolebas aliquid, siue gaudebas: quæ duo sunt tenerorum animorum maxime propriæ affectiones: continuo habebas aliquid à me, quod legeres, uel gratulationis, uel consolationis: imbecillum tu quidem illud, & tenue: sicuti nascentia omnia, & incipientia: sed tamen quod esset satis amplum futurum argumentum amoris summi erga te mei. Verum postea, quàm annis crescentibus & studia, & iudicium increuere: nosq; totos tradidimus Græcis magistris erudiendos: remissiores paulatim facti sumus ad scribendum, ac iam etiam minus quotidie audentiores. Itaq;, quas pueri miserimus ad te lucubrationes nostras, numerare aliquas possumus: quas adolescẽtes, non possumus: quo in consilio nobis diutius permanendum esse non puto: nam ut interdum non loqui moderati hominis est: sic semper silere cum eo, quem diligas, perignaui: neq; Hercule, si in officio permansimus in prima ætate, debemus nunc,

nunc, tanquam inexercitati histriones, in secundo, aut tertio actu corruisse. Præsertim cum æmulatio tuorum studiorum Angele nos non excitare modo languentes possit, sed etiam incendere: quippe, qui multa, & præclara habuimus à te semper, habemusq; quotidie & consuetudinis nostræ testimonia, & doctrinæ tuæ. Quare sicuti pueri scriptiunculas nostras, quasi lactentis ingenij acerbitatem, detulimus ad te: sic nũc deinceps etiam ad te adolescentiæ nostræ primos fœtus deferemus: non quo me ipse plus amem: nam iam id fieri posse uix puto: sed planè quia ita debemus inter nos: neq; enim arbitror cariorem fuisse ulli quenquam, quàm tu sis mihi. Sed de his & diximus aliâs satis multa, & sæpe dicemus: nunc autem, quoniam iam quotidie ferè accidit postea, quàm è Sicilia ego, & tu reuersi sumus: ut de Aetnæ incendijs interrogaremur ab ijs, quibus notum est illa nos satis diligenter perspexisse: ut ea tandem molestia careremus, placuit mihi eum sermonem conscribere, quem cum Bernardo Parente habui paucis post diebus, quàm redijssemus: ad quem reijciendi essent ij, qui nos deinceps quippiam de Aetna postularent. Itaq; confeci librum, quo uterq; nostrum communiter uteretur: nam cum essemus in Nonianno, & pater se (ut solebat) ante atrium in ripam Fluuici contulisset: accessi ad eum progresso iam in meridianas horas die: ubi ea, quæ locuti sumus inter nos, ferè ista sunt. Tibi uero nunc orationem utriusque nostrum, tanquam habeatur, explicabo, non tanquam recenseatur. Igitur, cum illum multa in umbra sedẽtem comperissem, ita initium interpellandi eum feci. PETRVS BEMbus

BVS FILIVS. Diu quidem pater hic sedes: & certe ripa hæc uirens, quam populi tuæ istæ densissimæ inumbrant, & fluuius alit, aliquanto frigidior est forte, quàm sit satis. BERNARDVS BEMBVS PATER. Ego uerò fili nusquam esse libentius soleo, quàm in hac cum ripæ, tum arborum, tum etiam fluminis amœnitate: neque est, quod uereare, ne quid nobis frigus hoc noceat, præsertim in tanto æstatis ardore. Sed fecisti tu quidem pérbene, qui me ab ijs cogitationibus reuocasti: quas & libẽtissime semper abijcio, cum in Nonianum uenitur: & nunc quidem nobis nescio quo pacto furtim irrepserant non modo non uocantibus, sed etiam inuitis. BEMBVS FILIVS. De repub. scilicet cogitabas aliquid, aut certe de triũuiratu tuo: sæpe enim ex te audiui (si fieri possit) uelle te, in agris cum esses: quoniam tibi id cum modice contingeret, tum etiam perraro, de ijs, quæ in urbe agantur, tanquam lethæo aliquo sumpto poculo, nihil omnino recordari. BEMBVS PATER Est ita, ut dicis: nam cum ab urbe propterea me, frequentiáq; hominum, tanquam à fluctibus, in hunc solitudinis portum recipiam: ut relaxem à curis, remittamq; paulisper animum, meque ipsum restituam mihi, atq; ad reliquos confirmem labores: ut in ludis athletæ solent, qui cum aliquo in cursu desudarint, considunt parumper, reuocantq; se se, ut sint ad reliqua postea certamina ualentiores: si tamẽ illæ ipsæ me rus etiam prosequũtur, quas fugio curas, & sollicitudines, profecto nihil ago: quod mihi quidem nunc ipsum euenit, qui cum solus in hac ripa consederim, ut dignum aliquid isto silentio medi

meditarer, ecce nos ita etiam unda illa ipsa resorbuit urbanorum negotiorum, paulatimq; in triumuiratus mei curas delapsus sum. B. F. Ita sanè coniectabar, uisus es enim mihi iamdudum nescio quid multa cogitatione commentari: neq; eo uultu, quo esse hic soles, hilari, & soluto: sed, quo te in urbe conspicimus, contractiore interdum, ac graui. B. P. Recte coniectabare: Sed ista tandem, quoniam nimis iam molesta sunt obliuiscamur. B. F. Vtinam ipse id posis pater, tibiq; istud (quando ita te iuuat) tam facile factu esset, quàm mihi: sed omnes curæ, quæquidem sint maximæ, ita se habẽt, ut, si insequaris, non fugiant: si fugias, etiam insequãtur: munus autem istud tuum cum est ipsum negotiosissimum per se: quippe, à quo ferè omnes reipub. nostræ partes pertractantur, quodq; uniuersæ ciuitatis, cæterarumq; urbium nostrarum aduocationem agit, & sustinet: tum uero illud etiam accedit, quòd tu is es, qui maxime omnium tranquillitatem animi, requietemq; déames: quo fit, ut magis etiam illa sentias, quæ te premunt. B. P. Est fili, est sanè causa illa quidem non leuis, quæ mihi labores adauget meos: sed tamen (ut uerum fatear) aliud quiddam maius me mouet, quod ipsum nuper me in urbem reuocauerat: sic dum sederem, reuocatq; sæpissime. B. F. Quid illud tandem est? B. P. Quòd reip. causa non commoueri neq; uellem si possem: neq; possem, si uellim: nam cum ab incũte ætate ita uitam instituerim meam, ut patriæ adessem semper, prodessem cum possem: potuerim autem nonnunquam uel iuuenis & domi, & foris: illa uero me sæpe muneribus reliquis, sæpe legationibus

honestarit: eam ipse si deseram nunc, cum & experiētia, & consilio, & auctoritate plus ualeo: quid sit aliud, quàm si tu me iuuenis senem deseras, filius patrem? B. F. Duas igitur causas prædicas pater curarum tuarum, duras tu quidem illas, & graues: uerum, quia te sciente à te ipso proueniunt, perferēdas: nam qui te idem & actionibus tradidisti, quibus otio inimicius esse quid potest? & rus amas, seceßusq; istos tuos: quæ quidem, cum multo diutius ipsis careas, quàm fruaris, uitam tibi illam efficiunt molestiorem: dolendum tibi non puto, si te uel illis ipsis rebus cōdemnes, quas fugis: uel fugias omnino, quæ te iuuant. Sed illud tamen quale est, quod te dixeras reipub. causa commoueri? an te fortasse mi pater motus ij Galliarum perturbant, qui feruntur? B. P. Minime illi quidem: uerum admodum gaudeo te è Sicilia rediisse: nam si aliquid euenerit, malo te hic esse, ubi omnes sumus, quàm illic, ubi neminem habes tuorum. B. F. Equidem adsum ac libens cum ea de causa, tum quia uobis omnibus carebamus iam nimium diu: cæue tamen putes nobis hoc Sicilienſi biennio quicquam in uita fuisse iucundius. B. P. Gaudeo & id quidem: idq; ipsum ex eo suspicabamur, quòd nondum ad nos cogitabatis. Sed postea, quàm in eum sermonem incidimus, ut de Sicilia loqueremur, narra mihi quemadmodum ea se habent, quæ de Aetnæis ignibus & feruntur passim, & perlegun tur: te enim accessisse illuc cū Angelo tuo, totumq; montem perlustrasse audiebamus, & nobis quidem certe nūc uacat: quid enim istoc æstu agamus meridiani? neque est, quod ego soleam libentius, quàm de naturæ mīraculis audire,

Reditus filij è Sicilia.

dire. B. F. Hæc uerò, ut libet, modo ualeā recensere: & quidem eiusmodi sunt, ut tibi audienti afferre uel magnā posßint, mihi certe narranti semper aliquam afferant uoluptatem: quanquam quidem iam hoc ipsum facimus nimis sæpe: quàm enim multis nos eadem ipsa censes postea, quàm è Sicilia reuersi sumus, narrauisse? Sed consurge (si placet) ab hac umbra: nam in ripis quidem omnis quæ fit accubatio, ea si lōgior est, esse admodū gratuior solet: atq; illa buxeta nostra (si tibi uidetur,) sedesq; pergamus. B. P. Periniquum tu quidē facis, qui de ignibus loquuturus ab umbra, & frigore decedēdum putas: sed (quādo ita uis) propter aquā potius in ripa deambulemus, & cum fluuio sermoni reliquo demus operam loquētes: ita mihi uidebor melius tuas illas flammas Aetnæas (si me offenderint) Pluuici mei unda temperaturus. B. F. Illæ uerò neq; te offendēt, cum absint longißime, neq; hic si adessent, restinguere illas posset Pluuicus tuus, cum mare ipsum etiam cedat illis uolentibus, atq; earū ardoribus cōtrahatur. B. P. Magnum exordium inceptas fili, ac iam planè uix credenda sunt ista, quæ dicis: uerū, qui ita fiat, explana id etiā mihi. B. F. Faciam, ut iubes: sed opus est ante, quàm illō ueniam, ut aliqua te prædoceam deq; insulæ, deq; montis natura: quibus cognitis ad ea, quæ postulas, recta pergemus uia. B. P. Age, ut libet: modo ad illa etiam aliquādo ueniamus: quin etiam mihi feceris gratißimū, si ea lege inceperis, ut ne quod pulchrū prætereatur, siue uidisti aliquid, siue audiuisti, siue quid es ipse commentatus. B. F. Ego uerò (si placet) iter tibi nostrum omne

ordine ipso, quo factum est, recensebo: teq; à Messanæ mœnibus usque in Aetnæ cacumen perducam. B. P. Placet, & cupio: incipe igitur, uiamq; ipsam omnem remi niscere, & tanquã recurre, si potes. B. F. Agam sedulò id quidẽ: itaq; (ne te teneam diutius) Quartusdecimus mensis agebatur, ex quo ego, & Angelus meus apud Constantinum præceptorem Græcarum literarum studijs exercebamur: neq; sanè adhuc uacuum ullum tempus dederamus nobis laboris, ac ne unum interea integrum remiseramus diem. B. P. Nimium fuistis assidui uestris in studijs adolescentes, uel etiam superstitiosi: annum, & menses nouæ linguæ rudimentis incubuisse nullo intermisso die: nimirum, si uos uel habitudo illa prior destituit, uel color: nos tamen è nauigatione traxisse uos pallorem istum, & maciem putabamus. B. F. Ita euenit: sed en tibi, iam tandem nos ipsos respeximus: placuit enim ut Aetnam uiseremus, atque interea, dum animi relaxarentur, quod efficere uel occupatissimi debeamus, tantum naturæ miraculum etiam feriati noscemus: ita iucũdis aliquot sumptis comitibus, qui nos perductarent, consesso equo Messanam reliquimus: sed iter facientibus nobis Tauromínium usq; memorabile nihil conspectum est: summa enim littora eraduntur. A' leua statim Rhegium, & Brutij agri paruo primum, mox latiori maris interuallo aperientibus sese paulatim angustijs prospectantur: à dextra colles continui imminent, Bacchi tota feracissima plaga, & Mamertinis unetis minus fortasse quàm olim fuit, tanquam ab ipsa uetustate cõtritis iam laudibus, sed tamẽ satis nunc etiam percelebris.

Iter Messana ad Aetnam Siciliæ montem.

In medio

In medio ferè itineris, uel paulò amplius castellum Nisus ex aëria montis rupe uiatoribus late prospicitur: unde illud deuectum Ouidianum,

Nisiades matres, Sicelidesq; nurus.

Incolæ uallem etiam omnem, quæ subest, Nisi regionem uocant. B. P. Erit isto sanè modo etiam aliquid infra Tauromínium memorabile: nam de hoc poëtæ uersu (si recte memini) nobis pueris nondum inter grammaticos conueniebat: qua quidem in re adhuc illi arbitrum si quærunt, planè uideo eam controuersiam posse dirimi à Niso tuo: à quo nescio quàm blande cæteri hospites suscipiantur, te certe (ut illi dicerent) etiam elegantiorem remisit: Sed sequere. B. F. Tauromínij cum ueterum monumentorum reliquiæ plures uisuntur, templa, sepulchra, aquæductus: quin sæpe temere Græca numismata paßim effodiuntur affabre facta illa quidem, neq; in æs modo insculpta, sed in argentum, sed in aurum, quod etiam Syracusis plurimum, & ferè per totam insulã euenit: tum etiã coctile theatrum adhuc manet paulò, quàm id, quod Romæ uidimus, minus, nisi quod illud amphitheatrum est: quæ quidem omnia eò inspexi diligentius, quod te recordabar plurimum semper ueterum hominum imaginibus, monumentisq;, tanquam uirtutum illorum, & gestarum rerum testibus, oblectari. Vrbs ipsa loco præceloso, atq; edito sita, & montium angulo promissa in pelagus prospectum maris Ionij late hincinde dominatur: theatrum ultimam anguli rupem insedit, qua collis conspicuus ante omnem urbem in circum planitiem ducens audẽtior procurrit in mare, atq; hinc fluctibus, inde urbe

Nisi regio.

Tauromíniũ

Situs urbis.

medius ipse terminatur. E' Tauromenitano demissi iugo, & littore paulatim relicto, uallemq; ingressi, quam à leua Aetnæ radices, à dextra Tauromenitani montes efficiunt: per eam Randatium usq; peruenimus nouum oppidum, & in Aetnæ radicibus, qua parte mediterranea despectat, situm: iter totum à Tauromenio nobis quatuor, & uiginti mil. pass. confectum est. Vallis sonoro, & perpetuo flumine scinditur, & irrigatur. Platani numerosa
Randatium oppidum.
Platanus.
c silua uirasq; ripas inumbrãtes maximam sibi uallis partem egregiæ incolæ uendicarũt. B. P. Ain' tandem, Platanos illæ habent ripæ? B. F. Pulcherrimas illas quidẽ, & multissimas, ut non Platonem modo, aut Aristotelẽ, scholasq; omnes mitiores suis umbris inuitare possint ad philosophandũ: sed etiam Gymnosophistas durissimos illos quidẽ homines, & sole admodũ delectatos. B. P. Quàm uellem, ut cum earũ duabus possem ego, uel tribus arboribus etiã omnes illas fru
c ctiferas arbores quas in quinquuncem dispositas habemus, cõmutare. B. F. Vtinam illæ tibi potius pater ijs stantibus totũ Pluuiciũ obduxissent: poterãt enim uel uniuersum Nonianum: sed nescio, an isto sub cœlo prouenirent. B. P. Equidem arbitror: nam illis
c postea, quàm in Italiã trauectæ sunt & quidẽ ab ipsa Si
c cilia primũ, multæ urbes abũdauere, quanquam posterio
c rum hominũ negligentia deperierint: nos enim, dum Ro
c mæ essemus, unam, quæ in ima ripa speculi est Dianæ Ari
cinæ, pro miraculo uidimus. Sed nihil est profecto (mihi crede,) nihil est fili (ut ego semper dicere solco,) quod effici ab homine cura, diligẽtiaq; nõ possit: nos enim (ut de me

de me ipso loquar,) quibus tamẽ, ex quo hãc uillã exædificauimus, iam inde ante, q̃ tu esses natus, consumere hic nondũ etiã licuit triginta integros dies: neq; quãdo licebit scio, cupiã certe semper, & peroptabo: uides q̃ multos tibi posuerimus ordines pulcherrimarũ arborum uel nostratiũ, uel aduenarũ? quòd si etiã Platanos habuissem nunq̃ illæ me uiuo perijssent: & haberes tu quidẽ nunc, quo melius inuitare posses Faunũ tuũ: & ille, quo libentius accedere. B. F. Vellẽ equidẽ mi pater, sed (qñ id effici nõ põt) oblecta te populis tuis: tũ etiã (si placet,) sicuti matres filiorũ noĩa, q̃ desyderãtur, ĩ eos sæpe trãsferũt, quos habẽt: ita & nos Platanos illas uocemus. B. P. Mihi uerò placet illas populos semp uocari: atq; haud scio, an etiã cũ eas tẽpestas uetustasue consumpserit (ut ait ille de quercu Mariana,) tñ erit in Noniano populus, quã Bẽbeã populũ uocẽt: ita mihi q̃dẽ uidetur illas æternitati cõmẽdasse suis carminibus Aurelius noster. Quare,

c Quæ uitreas populus arduo
c Bembeas ad aquas uertice tollitur
c Viuum cespitem obumbrans,
c Intonsa bicolor coma

Sit semp populus, crescat, surgat altius uel aqla ista, uel poëtæ uersu: sed (ut ad Platanos redeã) nõ tã mea causa istud ipsum cupicbã fili, q̃ tua: ego enim me oblectaui satis: tũ experiẽdo illud didici, ut neqd admirarer: neq;, si qd serò aliqñ, qd' facio semp, cũ licet: siue ædifico aliqd, aut paro: pptерea id facio, uel qa illis oĩbus rebus putem me esse usurũ, cui me ipso uti iã meo ipsius iure nõ licet: uel quia nõ facile illa possem cõtẽnere, q̃bus carerẽ: quid

enim mihi poteſt iam ad eos dies, qui mihi reliqui ſunt ad uiuendũ, eſſe nõ ſatis? uobis iſta parãtur pueri, uobis iſta (inquam) non mihi: ſcio enim quàm à parẽtibus quæſita iſta dulcius accipere ſoleant filij, quàm ipſi facile cõparare: ſiue quod in quærendis rebus plæriq; laborẽ fugimus, in parteis omnes uoluptatẽ amamus: ſiue quod in ijs, quæ nobis à maioribus noſtris relinquuntur, inſit etiam memoria illorum, qui tradidere: quæ illa nobis neſcio quo pacto, cum ſanctiora efficiat, tum certe facit multo etiam iucundiora. B. F. Mihi quidem pater & nũc iſta cariſſima ſunt, quæ, qua es in nos amoris exuberantia, à te uideo dici & erunt ſemper, dum uiuam, fixa animo & memoriæ meæ: cupioq;, ut ex ijs ipſis rebus, quæ mihi à te, quæq; fratri comparantur meo, longiſſimam ipſe nobiſcum percipias uoluptatem: ſed ſi tibi nos unquam naturæ lege ſuperuiuemus, habeo alia ego (ut de me tãtum loquar: nam de fratre quanquam multa poſſent dici, malo illi integram cauſam relinquere reſpondendi tibi,) habeo alia (inquam) quæ mihi ſanctiſſimam tui memoriã ſemper efficient etiam abſq; Noniano tuo: quippe, qui me puerũ educaueris non diligẽter modo, ſed planè (quod uere mihi uideor eſſe dicturus) etiam religioſe: habueris tecum in legationibus tuis, imbueris optimis moribus, omnibusq; bonis artibus (quod in te eſſet) ita ſemper inſtitueris, ut uerear, ne ſim prorſus ingratiſſimus, ultra hæc mihi à te ſi quid unquam relictum optauero: tum ſi de ijs ipſis tibi non ego ſemper maiores gratias habuero, quàm ſi mihi magnificas uillas cõſtruxiſſes. Quare iſta quidem de cauſa nihil eſt ſanè quod labores. B. P. Ego uerò ac multum

ac multũ: nam, qui tibi illa præparauerim: quæ ſunt longe potiora meo quidem iudicio: & (ut uideo) etiã tuo: curandum eſt etiam mihi, iſta tibi ut ne deſint: quæ, cum minora quidem ſint, ualde tamen ſunt neceſſaria: quemadmodum ſi te quis ad cœnam uocet: ferculaq; afferat cum uaria, tum ſumptuoſa: uina multifariam apponat: miniſtros adhibeat: calices quærat, & uaſa uel aurea, uel gẽmata: niſi ſtatuerit triclinium, aut menſas in hortulo diſpoſuerit, ut tibi ſtanti cœnãdum ſit: certe tu illũ nihilo probes magis, quàm ſi tam multa omnino nõ parauiſſet: Ita mihi eueniet patri: nam quod te recte inſtituerim à puero, mecum habuerim ſemper: utranq; linguam te docendum curarim, id eſt ad cœnam uocaſſe te ſatis dubiam, & ſumptuoſam, in qua depaſceres animũ tuum, teq; ipſum conuiua elegans oblectares: conuiuæ nanq; ſumus omnes, dum uiuimus, neq; aliud eſt omnis uita noſtra, qua ſub iſta mundi luce fruimur, quàm longa concœnatio, aut (ut iam uerius dicam) cõuictio: quòd ſi nec ſedem ullam tibi, nec umbram aliquam præbuero cœnanti, hoc eſt niſi uiuenti diuerſoriũ, ſeceſſumq; gratum aliquem parauero ſtudijs, & camenis tuis, profecto non tam in illis laudabis diligentiam meam, quàm in his etiam culpabis negligẽtiam: neq; tam pulchra ea tibi eſſe uidebuntur, quibus abundaueris, quàm fuiſſe illa, quibus carebis, neceſſaria. ita fiet, ut cum ſemel abiero, tu me ſæpius accuſes, quàm probes. B. F. O mi pater, me ne tam impium unquam futurum, ut te audeã accuſare? ego te unquam accuſem pater? quid ſi non tu me ſæpe monuiſſes, & ego aliquando ſcriptum legiſſem

Simile elegans.

Vita hominis.

Animi bona beatos nos reddunt.

à ſummis ac ſapientiſſimis uiris, animi bona eſſe, quæ beatos homines facerent ſola ipſa per ſeſe, quæq; opis externæ non egerent? ea neq; eripi poſſe cuiquam, nec ætate ſeneſcere, nec morte interire? cætera omnia mãca eſſe, labilia, momentanea: quæ quoniam fortuna, & caſu regerentur, tanto eſſe magis quenq;, quantum illa contemneret, uel diuitem, uel etiam ſapientem? animos noſtros ex ætherea ſede in hanc corporis labem profectos ea lege, ut ad illam ipſam purgati aliquando reuerterentur, quæ hic eſſent, deſpicere: ad illa ſe intendere, quo properarent: me uero, quem iſta quandoq; docuiſſes? niſi mihi uillam reliqueris, ſyluamq; platanorum, putas tibi eſſe ſuccenſurum? non eſt ita mi pater: ne putes. B. P. Non puto. B. F. Neq; me tam dementem exiſtimes uelim. B. P. Non exiſtimo. B. F. Quid ita igitur loquebare? B. P. Quia noueram mores hominũ: tum etiam pertentare te prorſus uolui, quàm recte iſta ſentires. Sed omittamus hæc iam tandem fili, atq; ad eam partẽ ſermonis, ex qua egreſſi ſumus, reuertamur. B. F. Imo uero pater nec reuertamur: quid enim amplius nobis cum platanis illis? de ijs enim loquebamur. Sed (ſi placet) ad Aetnam potius, de qua ſermo haberi cœptus eſt, properemus. B. P. Mihi uero pérplacet, ita tamen, ut ne feſtines: tibi enim ego omnes has pomeridianas horas dico. Sed quoniam me impellente nimium iam extra Aetnæ terminos proAetnæ montis deſcriptio.

uecti ſumus, non committam, ut te interpellem ſæpius, niſi quid erit, quod de ea ipſa te rogem. B. F. Sanè mons ipſe ſitu, forma, magnitudine, feritate, incendijs

dijs mirus, demum tota ſui qualitate ac ſpecie longe conſpicuus, & ſibi uni par eſt. Ab aurora mare Ionium bibit, & Catanam ſuſtinet imo in pede: cum ſole deſcendit in inſulam, qua Tyrrenum pelagus eſt, & quæ Aeoliæ appellantur: laterorſus, in ſeptentriones uergenti Pelorus obijcitur, & Italiæ anguſtiæ ſunt: contra reliqua inſula ſubiacet, tractuſq; ij omnes, qui cum Lilybæo in Africam protenduntur. Ipſa Aetna radices ſuas ferè in orbem deducit, niſi ſicubi orientem, & meridiem uerſus promiſſo cliuo pauliſper extenditur: celebs degit, & nullius montis dignata coniugium caſte intra ſuos terminos continetur, circumitur non minus, quàm centum mil. paß. aſcenditur ferè per uiginti, qua breuior uia. Imi colles, ac omnis radicũ ambitus per oppida, & per uicos frequens inhabitatur, Baccho, Pallade, Cerere feraces terræ, armentorum omnis generis ſupra, quàm credas, feraciſſimæ. Hic amœniſſima loca circunquaq;: hic fluuij perſonantes: hic obſtrepentes riui: hic geliciſſimæ fontium perennitates: hic prata in floribus ſemper, & omni uerna die, ut facile quilibet puellam Proſerpinam hinc fuiſſe raptam putet: hic arborũ multijugæ ſpecies & ad umbram ualentium, & ad fœcunditatem: in qua etiam tantum excellunt cæteras omnes arbores, ut mihi quidem magis huic loco conuenire uideantur ea, quæ de Alcinoi hortis finxit Homerus, quàm ipſi Phæaciæ, in qua certe nos, cũ è Sicilia rediremus, nihil eiuſmodi uidimus, quod nos tantopere oblectaret: ut etiã non inurbane Angelus meus interroganti eum cuidam ex Phæacibus, qui nobis urbem omnem oſtentarant, quid

Catana.

Pelorus.

Lilybæus.

circuitus mont. altitudo.

Phæacia.

quid nam illi uideretur, ita respondit. Ego Phæaces
Vrbana responsio. debere uos quidem, inquit, Homero permultũ existimo,
qui uobis plura etiam tribuit, quàm ipsa natura referam
(si potero) Latine, uel certe ut potero: nam aduerti
propterea tum etiam diligentius illum ipsum Homeri
locum.

Phæacia. Hic nemora in cœlum late crescentia surgunt,
Punicei pomum grani, malumq́, pirumq́,
Et dulces ficus, & magnæ Palladis arbor.
Non illis borealis hyems, non officit æstas
Torrida, sed placidas zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat fœtura per annum:
Et pomo insenuere recentia poma priori,
Et noua iam miti superaduenit uua racemo.
Medius mons nunc uarijs arboribus late syluescit, & præcipue pinis, & fagis maximam in magnitudinem,
multitudinemq́; crescentibus, quarum illæ inferius, hæ
sublimiores sunt: nunc nudo latere arabiles in plagas
extenditur: & sæpe usq; ad imum descendit, frumentis
adeo fœcundus: ut credita nõnunquam in centuplam se-
getem cultoribus ferat. itaq́; prudenter, ut multa, illud
etiam prisci uiri, quòd nobilissimum templum Cereris in
Cereris templum in Aetna gestu. Aetna constituêre: ubi enim potius dea segetum cole-
retur, quàm ubi fruges optime prouenirẽt? atq; id qui-
dem tantum de segetibus: uerum ab uniuersa Aetnæ fer-
tilitate (ut opinor) fabula etiam emanauit, Aristeum gi-
Fabula. Aristeus gigas. ganta eo in mõte ita saluum esse, atq; uiuere, ut neq; ab
Aetna prematur unquam, neq; flammis cœlestibus inura-
tur: quòd optimi, & uberrimi essent fructus, qui per
Aetnæ

Aetnæ loca nascerentur, nullo telluris uitio, nulla æris
offensi malignitate: nam & Aristeos Græci quidem illos
uocabãt, qui uicissent in certaminibus, quod uerbum ab
optimo deductum est credo, quia nisi optimi non uince-
rent: & gigantas scimus esse filios telluris appellatos: Gigantes fi-
ita, quoniam fructus uniuersos tellus, quasi mater, parit, lij telluris.
cũ fructus Aetnæos esse optimos, atq; uberrimos uellẽt
dicere, tanquam cæteros superarent: fabulæ datus est lo
cus, non inuenuste quidem, si tibi ita uidetur: expecto
enim etiã quid tu sentias scire abs te. B. P. Mihi
sanè uidetur: itaq; redde cætera. B. F. Reddã pa
ter, atq; illa ipsa quidem, quæ à principio postularas, et
quorum causa ista omnia dicta sunt: uentum est enim ad
id, ut iam de ignibus loqueremur. B. P. Verebar
sanè tu ne me longius prouectares: quanquam quid lon
gum mihi esse hac in re, qua de nunc agimus, atq; isto
in otio potest? B. F. Curabo id quidem, ne fiat
(si potero), quàm potero, diligenter. B. P. Imo
Hercle fiat potius, etiam id si facere ipse, ne fiat, potes:
non enim impedio: illud autem ideo dixeram, quia te pu
tabam ante, quàm istuc accessisses, aliquãdiutius erratu-
rum. B. F. Ego uero existimabam pater erra-
uisse me sic etiam nimis diu. B. P. Non est ita:
sed, ne nunc tandem erremus, perge de ignibus, ut pro-
posuisti: uerum autem, quid tu hæres? B. F. Per-
gam equidem, ut iubes: sed scin, quam in salebrã incide-
rim? B. P. Nihil profecto minus. B. F.
Dum tibi ad ignes festino, eam Aetnæ partem, quæ no-
bis una restabat de tribus (sic enim partiri solco), &
qua

qua sine ad ignes ipsos peruenìri non potest, penè omiseram subobliti: ita Aetnam, quasi Chimæram, cæciderámus, & tanquam ream, capite mulctaueramus imprudentes: sed agam nũc tutius, ac de utroq; simul loquar.

Aetnæ superior pars.

Superior itaq; montis pars (nam iam de ijs, quæ infra sunt, diximus) usq; ad summum cacumen nuda uariam faciem præostendit: nam alibi semihærbosi tractus sunt intersurgentibus tophis, qui etiam in pedemontana regione paßim uisuntur: alibi per summa ora exundãs incendium saxis fluentibus totas plagas inoccupauit, alibi arenarum campi magnam in longitudinem, & latitudinem extenduntur. In supremo cratêres duo sunt, quo-

Crateres duo.

rum alterum, qui minus altißimus est, ipsi uidimus in putei rotunditatem angustũ, emißis ueluti gemina sponda hinc inde saxis sulphureo uirore fumigantibus: hunc lapidea planities ambitu angusto circuntenet, quo ut primum inscendimus, sulphureis statim nebulis, & suburẽti fumo, ueluti è fornace, percußi ora penè retulimus gradum: mox increscente audacia, qua uentus perflabat, paulatim ingreßi cratêrem ipsum tetigimus manu. Effundebatur inde, sicuti ex camino, fumus nõ intermissa exhalatione: is tamen etiam scissa per longa incendia montis cute, uentis intus furentibus: qui eo die imperiosius bacchabantur, multis in locis sibi faciebat exeundi uiam: interdum quoq; de repente ipsis sub pedibus exiliens manere nos uno in loco non permittebat: quin etiam illud accidit, ut quem locum maxime contemplabamur, quòd erat saxis nuper effusis, & adhuc ignem, & sulphur retinentibus incrustatus, per hunc, qua parte con

cesserat in rimam, interflueret igneus riuus, ac pedes ipsos inter emissa ex riuo saxa urentia prosilirent.

B. P. Quid ais? peream, ni me totum commoues fili, atq; etiam perterrefacis tua ista oratione. Quid autem saxa illa? an etiam quenquam uestrum interlæsere? B. F. Neminem profecto pater: quin etiam eorum duo, cum refrixissent, quæ manu capi poterant, Messanam deportauimus sulphuris partem seruantia, cætera subnigra. B. P. Quid enim uos tam ultra tenuere procedebatis? B. F. Quia cum licere illic nobis tuto consistere putabamus, tum etiam perlustrandi studio uel potius auiditate ferebamur.

B. P. An nesciebatis Plinium illum maiorem ita occidisse, dum nimium diligenter (ne dicam inconsulte) Vesuuiana incendia pertentaret? B. F. Quid ni sciremus pater? uerum tanta nos delectatio illius spectaculi detinebat, tanta rei nouitas, tantus inuaserat stupor, ut sui ipsius iam nemo satis nostrum recordaretur. Sed missa hæc faciamus, atque ad illam planitiem, de qua modo dixeram, reuertamur: quæ quidem ita tamen perurebat ipsa, ut manus, nisi extemplo retulisses, offenderentur: pedes duplici calciamento ita propter ascensus difficultatem comparato tuebamur. Ab eo cratêre, quem dixi, mons per fundæ iactum insurgit ascensu difficillimo partim salebris impedientibus, partim tardentibus arenis: & cliuus statim etiam quoquo uersus impendebat. is uniuersi corporis uertex summus est, & tanquàm in urbẽ arx domina, sic ille in montem prominatur. ab eius inscensu detinuere nos poten

tentißima uis uentorum, & exhalantes fumi, itaq; tibi de illo referre quidem aliud nihil possum, nisi tibi ea uis recenseri, quæ ab Vrbano monacho accepimus postea, Messanæ cum esset, homo ille quidem uerißimus, atque hærum rerum cupientißimus sciscitator: is enim paucos antè nos dies per summam tranquillitatem totum uerticem perlustrarat. B. P. Imo uero cupio: noui enim ego illum, atq; amo, quod te non latet, quo mihi futura sunt hæc omnia illius etiam testimonio gratiora.

B. F. Aiebat ille igitur (quando ea tibi narrari postulas, quibus tamen ego tam accedo ut credam, quàm omnino si perspexißem) uerticem illum esse ab ingenti cratêre occupatum, ambitu circiter quatuor stadiorum: eumq; non usque in imum descendere eodem hiatu: sed aluum sibi intus paulatim astringere eátenus, quoad in medio centro ad euomenda montis incrementa satis amplo ore foraminatur: tum esse in summa montis corona paruum tramitem, ubi pedes firmentur, ex eo si quis declinauerit, aut in cratêrem obrui, aut è mõte deturbari: stetisse tamen se ibi tamdiu, quo bárathrum exploraret: eructasse tum montem magno strepore incendia caliginosa, & perurentes petras supra os, quantum sagitta quis mitteret, uel eò amplius, insurgentes: atque eum, uéluti corpus uiuens, nõ perflasse semper, sed emissa semel anima cessasse diutule, dum respiraret: tum sese copiam intuendi habuisse, quæ uellet: mox iectasse iterum, atq; iterum pari interuallo usquequaq;: interea ingemere intus cauernas auditas, intremere etiam tonitruis montem sub pedibus magno, & formidoloso ijs, qui

qui aderant, horrore: ex quo illud mirum uidetur: quòd qui tum strepitus per trãquillitatem sentiebantur, eorũ à nobis nihil auditum sit in tanta ferocia uentorum.

B. P. Illud uero nec uideatur fili, neq; planè ipsum est mirum: constat enim (quemadmodum scriptores tradidere) simul cum uentis Aetnæ animam immutari: & quo flante fumos tantum, & caligines exhalet, eo pollente modo puras, modo crassiores flãmas emittere pro surgentium uentorum qualitate: aliquando etiam effundi torrentes igniũ uaria exundatione, prout intra montis uiscera pinguia, uel exilia incrementa sunt: quæ cum ita se habeant, illud etiam posse fieri quis est, qui neget, lenißima unius uenti aura eos strepitus intra montẽ excitari, qui uel furente altero non queant? nõ enim quàm perflet quis, sed quàm intret in montem, quanq; se in cauernas illius, inq; uiscera insinuet, est spectandum.

B. F. Intra mõtem igitur tu, tanquam intra pectus animã, sic accipi ab Aetna uentos putas: quibus illa modo spirat leniter, modo uehementius incitatur? B. P. Sanè quidem: nisi tamen ueriora illa sunt, quæ de Typhóẽo, deq; Encelado poẽtarum fabulositas cõcinnauit. B. F. Verißima illa quidem fabella est: sed perge tu mihi: atq; etiam pater huius incẽdij causas redde, si placet: nam ex incolis quidem inuentus est nemo: qui ea nobis paulo uerius explicaret. B. P. Pergam, ut libet: sed non prius id faciam, quàm mihi dixeris quomodo illud sit, quod tu uerißimam fabellam dixisti. B. F. Quia sanè ea demum uerißime fabula est, quæ nihil habet ueritatis. B. P. Pul-

chre nimirum: atq; isto modo ego etiã dicere historiam falsissimam possum, ut ea sit demum falsissime historia, quæ falsi habeat nihil. B. F. Non sequitur istud pater: sed nos dialecticen è captiosis sophistarũ circulis, coronisq; ne auocemus: satis enim habet illic negotij. Quare age mi pater, explana potius illa nobis, quæ petimus, ea incẽdia unde oriantur, & orta quomodo perdurent. B. P. Tu uero postulas etiam sine dialecticis philosophari: quod quidẽ ipsum fieri quàm possit, uel alio tempore ex te ipso cognosces, uel cum uoles, audies de me: nunc uero age, philosophemur: interea tamen paulisper hoc in cespite considamus: neq; enim ullis adhuc Nonianis legibus cautum est, ne quis temere quoquo in cespite cõsidat: quemadmodum olim urbanis, nequoquo in solio: & ego iam deambulando defessus sum. B. F. Tu uero quiesce, ut libet: & quàm diu libet: ego autem & stare adhuc possum libentius, & te ita melius auscultabo. B. P. Et quidem hoc etiam licet: sed quoniam ita uis, ut, quibus de ignibus ego te antea interrogaram, de ijs tu me nunc audias disserentem, breui expediam, quæ sentio: neq; enim nimis multa sunt. Tellus quidẽ omnis Bembe fili, sicuti nostra corpora, foraminibus, canalibusq; distincta est, & tanq; uenis internotata, siue quòd omnino coire non potest quæ specie quidẽ multum sibimet differat intra se se, siue quòd aut gignit ipsa semper aliquid, aut interimit, & immutat, neq; unum idem omnis, atq; eodem permanet, siue (ut alij tradidere, & quidem principes in philosophia uiri) quia planè uiuit ipsa, atq; à mundi anima uitã trahens

Aetnæ incendia unde oriantur.

hens ab eadẽ mundi anima extra, intraq; perlustratur. Sed in omni tellure nusquam maiores fistulæ, aut meatus ampliores sunt: q̃ ijs in locis, quæ uel mari uicina sunt, uel à mari protenus alluũtur: nam cũ exedit semper mare, consumitq; suopte cõtactu, suaq; natura omnia, tum autem, si partẽ est nactum aliquam debiliorẽ, membraq; nõ adeo robusta telluris, crõdit illa multo facillime, pergitq; in uiscera ipsa, q̃ potest: itaq; cum in aliena regna sibi uiã faciat, uentis etiã facit: ex quo fit, ut loca quæq; maritima maxime terræmotibus subiecta sint, parũ mediterranea. quòd si etiã in sulfuris uenas uenti furentes inciderint, tum incendia suscitãtur sanè non difficulter, quoniam & in sulfure concipiendi permagna ignis uis ineſt, & uenti etiam aliena succendunt ui sua: hæc autẽ tu ut in Aetna accidant omnia, uide, qppe (ut modo tute dixisti), quæ mare in radicibus habeat, quæ sulfurea sit, quæ cauernosa, seu q, natura ita fuerit semper ipsa, seu q, salo aliqñ subexesa uẽtos admiserit æstuãtes, per quos idonea flãmæ materies ĩcẽderetur. Habes, unde in cẽdia oriantur Aetnæ tuæ: habe nũc quomodo etiã orta perdurent: in quo quidẽ nolo ego te illud admirari, quo uulgus solet: magnũ esse scilicet tãtas flãmas, tam immẽsos ignes post hominũ memoriam semper habuisse, quo alerẽtur: qd est enim magnũ ipsi magistræ rerũ omniũ, & parẽti naturæ? quid arduũ, quid illa tandẽ non potest? qui stellas, qui solem, qui cœli conuexa, qui terras omnes, ac maria, qui mundũ deniq; ipsum, quo nihil est admirabilius, uel potius extra quẽ nihil est, qd admiremur, sæpe sine admiratione intuemur, ijsdem nobis esse

Aetna miraculum potest? caue sis tam imprudens fili, ut tu id putes: nam si naturam respicimus, nihil in Aetna est, quod mirum uoces: si rem consyderamus ipsam, non ne tibi etiam mira uideantur cum alia loca permulta, tum uel Aponi nostri fontes, calidæq; illæ purissimæ, quibus natura non tantum ut calefacerent dedit, quod erat tamen ab aquis alienum, sed multum de iure quoq; rerum omnium concessit, multũ de nostro, tum aliquid de deorum etiam, & suo, ut morbis scilicet mederentur non modo sine ullo ægri dolore, qua de causa Græco uerbo Aponus nomen inuenit, sed etiam cum uoluptate? itaq;, qui curantur,

Aponi fontes calidi.

Non uenas referant (ut ait ille), nec uulnere uulnera sanant,
Pocula nec tristi gramine mista bibunt:
Amissum lymphis reparant impune uigorem,
Pacaturq; ægro luxuriante dolor:

Nam morbos quidem expellere hominum planè est rerum usum multarum recte callentium: hoc autem uel sine dolore id efficere, uel (quod multo est maximum) etiam cum uoluptate deorum mihi quidem uidetur esse proprium, ipsiusq; principis omnium, & parentis naturæ. quòd si cum uno Aponi fonticulo, & canali profunda illa comparaueris, inundationesq; omnes Aetnæ tuæ, fortasse nõ uerear, ne noster hic colliculus tuo illo mõte sit minor. Sed faciã, ut tibi pollicitus sum, et Aetnæ incendia quomodo alantur, docebo. Quoniam igitur (ut scis humore, & calore omnia cõcipiũtur, cũ & semper ardeat mons, & semper à mari perlustretur, habes iam duobus

Aetnæ incendia quomodo alantur.

duobus istis uerbis, quod petis: ignis enim qui detrahit semper aliquid, atq; consumit, gignit etiam semper aliquid sibi, quod cõsumat, suo ipsius calore humectãtibus undis tellurem, semperq; igni materiã sufficiẽtibus, quo alatur: nam & bitumen maxime, quod sulfuri simillimũ est, fit ex terra & limo exundãte tellure, tum & eiusdem ferè generis halumen, quod quia ex salo & terra conficitur, ita uocatur. B. F. Vnde autem saxa, & pumices pater, & eiectamenta illa, quæ uomit? quid illa tandẽ sunt? an sulfur tantũ, bitumẽ, halumen omnia? B. P. Nequaquam fili: sed tanta est uis igniũ præsertim inclusorum, & uentis intus furentibus, ut nõ uiscera imbecilla modo, sed planè nerui etiam fortiores corripiantur telluris, & saxa ipsa durissima liquefiant. B. F. At ea ipsa saxa non aliquando defecisse, mõtemq; sibi nõ subsedisse, non ne illud est mirũ pater? B. P. Neq; id fili quidem mirum: tellus enim semper fœcunda est suijpsius: semperq; semet ipsa parturit nisi tamen malis tu cum Pythagora sentire, qui quidem apud Ouidium ita præcipiens inducitur ut audeat affirmare Aetnæa incendia non esse usquequaq; duratura. B. F. Ego uero, quid sentiam, non sat scio: quanq; equidem mallem Pythagoram, quàm Empedoclem imitari: ille enim quæ naturæ consentanea uidebantur, credebat asserens mutari quidem omnia, nihil tamen omnino interire: hic, dum curiosius naturæ causas perscrutatur, etiam seipsum imperscrutabilem facit. B. P. Sed ualere nos illos sinamus fili: & quoniã nos tibi, Aetnæ incẽdia unde fiant, diximus, id uelim ego scire itẽ ex te,

Halumen.

Bitumen.

Pythagoras.

Empedocles.

ipsa ista quomodo fiant. B. F. Iam istud quidem fieri sine ullo negotio potest uel una Hesiodi comparatione, qua ille in sua theogonia fluxisse ait tellurem, ubi eam post fulminatũ Typhœũ igne correptam describit, isto (ni fallor) modo: ex quo sanè libet mihi suspicari etiã pastorẽ illũ Ascræum aliquãdo Aetnam cõscẽdisse, atq; inde sibi sumpsisse, qd' de uniuersa tellure scriptũ reliqt:

Vritur ipsa ingens tellus, æstuq; fiorente
Liquitur, albentis quondam ceu lamina plumbi
Arte uirum, flammisq; cauа fornace liquescit:
Seu ferrum (quenquam hoc maternæ uiscera rupis
In duras aluere ires) cum ferbuit olim
Vulcani domitum manibus, terræq; fatiscit.

Et quidem propterea illũ ego plumbi, & ferri exempla posuisse crediderim, ut alteri ea cõpararet, quæ igne facilius corripiũtur, & fluũt, ut sulfurea tellus omnis, & eæ telluris partes, quæ tenuiores sunt, alteri autẽ cum saxa omnia, tum ea, quæ flãmæ resistunt magis, & sunt, suapte natura duriora. B. P. Mihi hæc quidem certe non displicent ipsa per se: atq; etiam delectauit me nonnihil poëtæ ingeniũ, qui tam apte descripserit fluentem, & ardentẽ tellurem: sed tamen tu fili nimium perparce respondes ad illa, quæ peto: non modo enim istud ita simpliciter cupio, ea incẽdia quomodo fluãt, scire abste: sed etiam, ubi descẽderint, quam faciẽ capiant, tum si perdurant eadem semper, an aliquando immutẽtur, audire. B. F. Geram tibi morem pater, & ea, quæ postulas ut potero, explicabo. Pleno iam partu (ut maturior est omnis fœtus, quicunq; in Aetnæ matris utero

utero coalescit) nisu parientis expellitur, & eiectatur, quacunq; prius rimam inuenerit, aut uiam sibi parauerit ui sua: sæpe tamen exit ex cratere, quem ipsi uidimus, nunquam ex superiore, quòd uel eò inscendere grauis materia nõ queat, uel, quia inferius alia spiramenta sunt, non sit opus. Despumant igitur flammis urgentibus ignei riui pigro fluxu totas delambẽtes plagas: ij paulatim recedente calore priorem sibi naturam reposcentes in lapidem indurescunt fragilem sanè flammis eneruantibus, & si complectas, putrem. Stat ea cõfluuies, ueluti glacies, concreta usq;, ut alteri descendãt riui: ij nanq; non suprafluũt, sed inter montis arenosam cutem, & priora concreta fluenta insinuantes sese cursum sibi medium quærunt: sic, quæ prius induruerant, quia friabilia sunt (ut dixi), nouis incendijs cedentia crepant, & in partes disiecta prosiliunt, quacunq; unda deurgens interfluit: deinde conglaciantem eam altera: subijt illuuies, atq; ipsa tantundem facit: tum altera itẽ, & altera: non enim continuato fluore mons, sed per intermissos spiritus (ut supra commemorauimus) eructatur: atq; ita nouissimis semper uincentibus, multiplicatoq; in immensum incendio ex igneis fluminibus fracti lapides altissimo cõgestu magnã partẽ montis inoccuparunt: atq; ij, quo recentius fluxere, eò & nigriores sunt, et firmiores: ætate & pallescũt, & resoluũtur: inde ego esse arenarũ plagas omnis, quæ circa cacumẽ uisuntur, existimo. Materies omnis aridissima est: atq; ideo minus multo, quàm uiui lapides, põderosa, scabra adeo, ut breui mora, tanquã à lima, inscendentibus calcei exedantur.

B. P. Atqui ego ſanè in eo mallem Empedoclem imitari, qui aſcenſurus amyclis æreis utebatur: ſed ſequere. B. F. Ea infra paruũ cratêrem circumuerſus totum montem complexa eſt, & cumulum eum, in quo maior crater eſt, ſuſtinet: demittitur inde alicubi per interualla imum in mõtem obliquis fluxibus, quáq; Catana iacet, uſque in mare, lata ſæpe, qua uiſus patet, horrendum ſanè ſpectaculum modo alueis hiantibus, modo impendentibus ripis. Inter maxima profluuia longe memorabile illud eſt, quod paulo ante noſtram ætatem uſq; intra Catanam decurrens non paruam urbis partem incendio depopulauit: neq; ſanè deſcenſus is minus, quàm per ducenta ſtadia conficitur. Quin etiam portum eum, de quo ait Vergilius,

Portus ab acceſſu uentorum immotus, & ingens
Ipſe ſed horrificis iuxta tonat ætna ruinis,

ita impleuere fluenta Aetnæa, ut iam erraſſe Vergilium putes, quòd portum ibi eſſe ingentem dixerit, qui penè nullus ſiet.

B. P. Iſtud nimirum eſt, quod à principio dixeras cedere illis uolentibus, atq; eorum contrahi ardoribus ipſum mare. B. F. Eſt ita quidem, ut dicis: ſed (ut ad propoſitum reuertamur) reptare per eas crepidines, quas dixi, duobus mil. paſſ. neceſſe eſt quemuis cratêrem uiſuros: reliquum iter in equis conficitur. reptationis eius labor haud facile credas, quàm durus eſt, quamq; indigens uirentis genu, quippe, quia degrauante uiatore temere ingeſti lapides concedunt, & in aſcẽſu raptiſſimo, ni probe poſueris pedem, dimoto uno tota congeries deuoluitur, & in te ipſum ruit: adde, quòd etiam

etiam, ſi in plano ceciderit lædunt ſcabritie ſua, & manus crebro contactu, niſi contexeris, offenduntur. Magna hæc fortaſſe uidebuntur pater audienti tibi: magna enim ſunt (ut mihi quidem uideri ſolet,) uerum nuſquam adeo, ac nobis uidentibus fuere: nam Aetna quanta eſt, nemo quidem ſcit, qui non uidet. Ex ſummo uertice contemplari totam inſulam licet, termini eius longe eſſe multo minus uidentur, quàm ſunt. Brutia ora ita tibi ſub oculis iacet, ut eò poſſe traijcere penè quidem iactu lapidis putes: ſerena tempeſtate Neapolitam etiam tractus exiſtimantur. Niuibus per hyemẽ ferè totus mons eanet: cacumen neque per æſtatem uiduatur. Niues

B. P. Quid, Aetnæ. quod hycmare tantum eas meminit Strabo? B. F. At experientia ita te docet, uſq; ipſe autor (quod quidem uenia illius dixerim) non deterior. Quare illud mi pater etiam, atq; etiam uide, ne quid te moueat, ſi aliqua ex parte huius noſtri de Aetna ſermonis cum ueteſtis ſcriptoribus diſſentimus: nihil enim impedit fuiſſe tum ea omnia, quæ ipſi olim tradidere, quorum permanſerint plurima in noſtram diem: quædam ſe immutauerint, aliqua etiam ſurrexerint noua: nam (ut cætera omittam,) quod cineroſa partim eſſe ſumma cacumina dictauere, eius rei nunc ueſtigium nullum apparet: cinis enim, qui queat conſpici, toto monte nullus eſt: neque id tamen omnibus annis fuit: nam multorum teſtimonio accepimus, qui uidere, annos ab hinc quadraginta tantos ex Aetna cineres euolaſſe, ut per totam eam inſulæ partem, quæ uerſus Pelorum iacet, uniuerſam oleam abſtulerint, eos etiam in Italiam uentis ferentibus latos. Sed (ut ad niues illas redeamus)

mus) addebat idem Vrbanus Calendis Iunijs ascendente se satis largiter, abundeq; ninxisse: tum iterum, qui septimus fuerit post eum diem, dum ipse Randatij moratur, in uniuersam montanam plagam niues ferè in pedis altitudinem descendisse: in quo ipso licet & Pindarũ suum spicias scite cognomento usum, qui Aetnam niuium nutricem appellarit. Quo latere subest Catana, media ferè inter ipsam, & cacumen regione purissimus, & perennis fons erumpit Dorico uocabulo Crana ab incolis appellata: cæterum toto monte supra radices nullæ aquæ sunt, nisi quæ uel ex niuibus emanant: cuius quidem rei etiam Theocritum testem habemus, in quo dum Galateæ Cyclops enumerat diuitias suas, hæc etiam interserit,

Aetna niuium nutrix Pindaro.

Crana fons.

Est glacialis aquæ riuus mihi, quem syluosa
Nectareum in potum niuibus fluit Aetna solutis,

Aut si quæ intra fagorum truncos pluuijs descendentibus relinquuntur. Atqui res, & locus me monuere ut quod ibi uidimus pulcherrimum naturæ opus & miratu fuimus maxime, nõ præterirem. Altissima in specula, quæ sylua deficiente liberior prospectus in insulam, & Tyrrhena fluenta dominatur, hærbidus campus leni decumbit cliuo: hunc pini proceræ pari distantes interualloducta corona circunsepiunt: in medio fagus densissima quadrifido robore se subijciens, celsior quàm cæteræ, ueluti regina ipsa consurgit: ea non statim ex imo discriminatur, sed à tellure per spatium cubitalem uno trunco contenta est: inde se in ramos consimiles æqualibus interualis dispartitur: interne usque ad imas radices arbor deficiens undis pluuialibus urnam ex sese facit: illæ montano purgan

purgante aëre, ac umbris solem arcentibus, & fontanis gelidiores sunt, & putealibus puriores. Ambigeres ibi tu quidem pater si quid eorum tibi laudandum esset, quid nam potissimum laudares, an prospectum eius loci, an locum: tum an arborem, an undas: ita scite in alteris decorandis (quasi quidem id agerent, ut quid magis pulchrum esset, ambigeretur) & Hamadryas, & Nais conuenere: in honestandis uerò alteris admirabile quidem est, quantum gratiæ, uenustatisq; sibi inuicem afferant Iuppiter Genio, & Genius Ioui: quo fit ut in utrisq; multum Venus etiam permista sentiatur. B. P. O pulchras naturæ delitias, uel etiam Deorum (ut pŏtis placet,) si qui sunt, qui eum montem colant. B. F. Sunt pater (ut aiunt,) atque incolunt illo ipso quidem in loco. B. P. Mirabar, si hæc temere dicerentur prouenire, præsertim à Siculis, quos quidem constat propter sermonis impunitatem, & licentiam etiam trilingues uocatos: sed quis inhabitat Deus? B. F. Fauni esse fontem illum dicunt. B. P. Fabellam te uideo inchoare: sed quoniam in Faunum incidimus, sequere: detineri enim me ab illo facile patior, cum quo te scio libenter etiam carminibus ludere interdum solere. Istud autẽ qui sciunt? an ita fortasse coniectantur? B. F. Videre se aiunt pastores ipsum Deum passim errantem per syluas, & pascua: tum etiam sedentem sub illis arboribus coronatum pinu, & tacentem sæpius: interdum tamen etiam fistula solantem amores. Sed continebo potius me hic pater, leuia enim ista sunt, & mihi loqui tecum, nisi reuerenter, non licet: quanquam quidem, si pergerem, facerem⁹

Faunus deus pastorum.

ceremus ipsi hac in re, quod facere etiam reges in cœnis solent: qui quidem inter apros, & pauones, quibus abundant quotidie: interdum tamen & allium poscunt, & betas. Neque sanè animus noster uacare semper rebus seuerioribus potest: neque si uacet, tamen ex illis tam plenam capit iucunditatem, quàm si ea ipsa remitteret interdum, & mox non longo interuallo intermissa reuocaret. Ita nos quidem nunc grauia illa philosophiæ studia, quibus quidem certe id omne tempus soles, quod tibi per rempub. licet impertire: melius etiam fabellis istis leuioribus condiremus, & quidem licet maxime uel in Noniano fabulari. B. P. Sanè quidem licet, dum illud tamen semper teneatur, ut cerato remige Sirenas, quod aiunt. Et profectò poëta ille sapientissimus nunq̃ Vlyssi concessisset, quem prudentissimum semper facit, ut Sirenarum cantus audiret: nisi liceret etiam grauibus, & sapientibus uiris: quorum tamen in numero me non pono, minus serijs adesse interdum rebus, & lusus captare non adeo seueros: modo ne remiges audiant, hoc est, ne sensus pateant uoluptatibus, quibus & demulcẽtur ipsi semper: & nisi ratione occlusi sint, sæpe etiam facilime capiuntur: quod tibi esse faciundum in uita maxime semper censeo Bembe fili: nam nisi te ita informaris, ut uoluptatum illecebris animum imperuium geras: non possum dicere, quàm multæ tibi occurrent species earum, quæ te non adolescentem modo (ut es nunc) demulcere possint, & delinire, ac iam etiam debellare, & deuincere: sed plane etiam uirum. Ita que illis aut magnanimiter imperandum est: quod fecerunt uiri omnes magni, & boni, & ij, quos

ij, quos propterea deos etiam appellauere: uel omnino turpiter deseruiendum, in quo quidem tu (si me audies) non committes, ut reiecta continentia atque ipso amore uirtutis ex illorũ sis grege, de quibus præclare Oratius,

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Antinoiq̃;
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Quis pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessantum ducere curam.

Sed quoniam iam adueſperascit, procedamus in atrium: nugæ autem pastorales istæ tuæ sub umbris sunt potius, & inter arbores, quàm intra penates recen-

sendæ. Quæ cum dixisset, & iam in atrium peruenissemus, ego finem loquendi feci: ille cogitabundus in bibliothecam perrexit.

PETRI BEMBI AD NICOLAVM TEVPOlum de Guido Vbaldo Feretrio, deq; Elizabetha Gonzagia, Vrbini ducibus Liber.

BEMBVS Teupole pater meus, cum Venetias de Guidi Vbaldi Vrbini Ducis morte esset Senatui allatum, magnum sanè dolorem cepit, quod uir diuino ingenio, admirabili doctrina, singulari prudentia præditus, omni iure necessitudinis cum nostra rep. coniunctissimus, amplissimis in fortunis tum, cum florere per ætatem inciperet, interceptus extinctusq; incredibile sui desiderium bonis omnibus reliquisset. Qua in re augebat eius molestiam: quod uidebat, propterea quia Iulius Pontifex maximus ei plurimum tribuebat, magnum etiam imperium eius fidei commiserat, eratq; nemo, cui ille uel plus confideret, uel in quem omnes honorum & dignitatis cumulos esset libentius collaturus, ipsum è uita non satis suo tempore cessisse. Ad hæc etiam mea causa plurimum angebatur. Existimabat enim id, quod erat, quia ego illũ summopere amabã, colebam, in eius erga me amore atq; beneuolentia conquiescebam: ille uerò me admodum diligebat, secum enim, quandiu mihi esse cum illo licuit, suauissimo in conuictu amantissime honorificentissimeq; deti nuerat: suo etiam testimonio apud Iulium Pont. Max. sæpe

sæpe ornauerat, fore, ut eius uiri interitus mihi longe acerbissimus atque luctuosissimus accideret. Neque solum Bembus pater, sed omnes etiam nostri ordines, ut scis, atque uniuersa certe ciuitas eum nuntium grauiter ac moleste accepit. Nam quoniam is & nostris quondam in exercitibus admodum adolescens summa cum potestate strenue atque integre aliquot annos fuit, & postea Valentinianis illis miseris durissimisq; temporibus regno suo expulsus, cum se in nostram urbem contulisset, incredibili gratia totius ciuitatis annum amplius est nobiscum uersatus, nõ tanquam exteri aut alieni hominis, sed quasi unus nostri charissimi amantissimiq; ciuis atque optime de repub. meriti, sic eius uiri mors nostrorum hominum animos omnium mentes´que perturbauit. Quæ res illis eo etiam grauior fuit, quod uxor eius egregia lectissimaq; fœmina ipsis ob oculos uersabatur: quam sanè cum propterea, quod illam is sine filijs relinquebat, tum uel maxime quia uiri amantissimam cognouerant, existimabant omnes magno in luctu atq; dolore uersari: cuius uirtutem, constantiam, sanctitatem, præstantissimũ ingenium, uniuersa nostra urbs tum, cum apud nos illa unà cum uiro esset, plurimis in rebus maximis difficillimisq; perspexerat, summaq; illam beneuolentia prosequebatur, difficile ut dictu sit, uter nam eorum fuerit nostris hominibus charior. Itaq; quo tẽpore mors aliqua regia patres illos atque Senatum reliquosq; ciueis omneis æque, atq; hæc, dolore molestiaq; affecerit: qui sciret, aut qui se audiuisse recordaretur, nemo erat. Sed quoniam, ut plærunque fit, ea de re nihil omnino tum publice, præter ipsam Ducis mortem

mortem nuntiabatur, ut primum in animis hominum dolor ille parumper repentinus resedit: cepit urbs, quasi domestica in calamitate, quærere, quónam ille morbo esset extinctus, qui honores mortuo habiti, quáue mente populi fuissent: tum quàm moderate uxor eam solitudinẽ ferret, quamúe secus: aut quod cum apud eas gentes, tum apud Romanos homines beneuolentiæ, quodue famæ nomen existimationisq; retinuisset. Quæ cum singula mihi maxime esse cognita existimarent ij, qui sciebant, quãtus mihi cum illo uiro usus familiaritasq; intercesserat: plurimi etiam affuisse me illi morienti arbitrarentur, concursus est ad Bembum patrem propè omnium ista quærentium factus: quibus ille tametsi Romæ esse id me temporis ostendisset, persuadere tamen nõ potuit, quin ab ipso uellent meis literis ijs de rebus fieri certiores. Id à me pater cum petijsset, statui ea conscribere, quæ à Sigismundo Fulginate paulò ante acceperam: cum ad illum ipse atq; Sadoletus meus & Philippus Beroaldus minor his de rebus scisciatum uenissemus, sermonemq; uniuscuiusq; nostrum, quemadmodũ habitus est, mandare literis cum ijs scriptis, quæ tanquam lecta tum atque recitata nobis omnem propè rerum summam atque seriem continent. Quid enim patri meo ciuium meorum nomine petenti atq; requirenti negarem, ea præsertim in re, quæ duorũ longe omnium optimorum longeq; mihi charissimorum hominum uel memoriam esset in posterum uel etiam beneuolentiam propagatura? Itaque cum librum confecissem, animaduerti in eo multa esse tam egregia tamq; praeclara, atq; adeo tam insolita cum de Guido Vbaldo, tum de uxore

de uxore eius uel recitata, uel certe commemorata inter nos atq; dicta, ut uererer, ne plures essent futuri, quibus illa nõ satis probarentur, quã qui uera esse crederent, nisi certo aliquo atq; illustri testimonio niterentur. Est enim illud uerũ Teupole, dici quod solet, quemlibet ex se alios facillime æstimare. Itaque quoniam nemo uir, nemo mulier hoc quidem tempore fortasse est, qui ea in se experiatur, quæ nos & uidimus sæpe in illis omnia, & partim etiã nunc uidemus, existimaui adhibendum mihi esse testem idoneum, cuius autoritate uniuersa se nostra oratio tueretur. Is tu autem potissimum es uisus, in quo acquiescerẽ. Nam Bembi quidem patris attestatio, cuius mihi nomen grauissimum sanctissimumq; est, quoniam ei mea in primis ratio atq; persona tuenda proponebatur, aliquibus fortasse uideri poterat plus in eo amori eius erga me tribuisse, quàm quærebam. Tu uero & illorũ amborum familiaritate atq; beneuolentia cum in nostra urbe maxime omnium es usus, tum in eorum regno ab ipsis amantissime susceptus eo tempore, quo te Romam ad illas in omnium doctrinarum genere abs te supra quinquies mille propositas quæstiones disputandas sustinendasq; contuleras, utriusq; mores atque uitam omnem bene penitus diligentissimeq; perspexisti, mecumq; postea sæpius summa cũ admiratione es colloquutus: & illos ipsos, qui hoc in libro ea disserũt, quæ leges, partim uetere tibi necessitudine atq; hospitio, partim arctiore usu atq; conuictu, studium quidẽ omnes uoluntatumq; similitudine maxime coniunctos atque coniunctos habes: ut quantũ illis adhibenda fides sit, nemo te melius intelligat. Quanquam quidẽ

ea certe res cumprimis illos omnibus hominibus conciliare debet, probatißimosq; reddere, quòd Iulio Pont. Maximo eximie probantur, eidemq; charißimi atque familiarißimi sunt. Nam is & Sigismundum unice diligit, apud seq; habet, atque à scribendis epistolis præclara eius opera utitur, in quo difficile dictu est, quantum unus omnes excellat cum scriptionis elegantia & candore stili, tum plane diligentia & fide: & Sadoleto quantum tribueret, quanti eius incredibilem probitatem præstantißimamq; doctrinam faceret, quamque sibi culta eius splendentiaq; poemata probarentur, ostendit sacerdotio illi tradito Romæ templi honestißimi Laurentiani. Beroaldus autem in ære illius iampridem est: cuius cum simplex laudabilisque uita, tum doctrinæ elegans eruditio atque in poëticis studijs mira præstantia eius stipendio ac liberalitate maxime adiutur: quis autem ita sine ullo iudicio est, cui qui apud Iulium permagna uel autoritate uel beneuolentia sunt, eorum cum facta, tum dicta omnia non probentur? Cuius etiam quod in isto libro nomen multis in locis perlegent, consiliaque intuebantur, qui eum sibi librum legendum existimabunt: si modo quispiam id faciet: quod eos tamen facturos puto, quorum in animis atque mentibus & mortui Ducis memoria & uiuæ beneuolentia impressa altius infixaque inhærebit: tibi magno adiumento esse ad ea quæ scribimus, cæteris probanda testandaq; debebit. Quam ob rem facillimum tibi erit Teupole hunc librum tueri, apud nostros homines præsertim, qui tibi plurimum tribuunt. Quid autem tibi nostri

nostri non tribuant, quem Romani homines ita suspiciunt, ut cum in omni philosophia tibi sine ulla controuersia primas deferant, in cæterarum artium disciplinis quem tibi anteponant, se habere neminem fateantur? ita amant, ut nemo mihi unus tam ab aliquo, quàm tu ab illis uniuersis, diligi amariq; uideatur? Eo autem etiam libentius hos ipsos ad te sermones mittimus, quod quemadmodum ego ijs aliquam mihi sensi adhibitam esse leuationem doloris mei, sic existimo ad tuam molestiam minuendam, quam ex Guidi Vbaldi morte multo maximam te audio multoq; grauißimam contraxisse, eosdem idoneos administros futuros. Quod si fiet, magnum me ex hac lucubratiuncula fructum cepisse arbitrabor, cum te, quo quidem mihi nemo mortalium aut coniunctior est aut charior, minus angi atque dolere intellexero, quàm si omnino nihil scripsissem. Itaque ut ad ipsos tandem sermones ueniamus, ita res haberi cepta est. Nam cum ad Sigismundum quodam die unà omnes in Vaticanum uenissemus aliquantum post meridiei tempus: ipsi autem nescio quid à suis pueris tunc lente inambulanti recitabatur domi: hominemq; salutauißemus, nosq; ille compellauisset, hilari, sed tamen graui, quo semper utitur, uultu statim me intuens, Bene inquit Bembe factum abs te est, non solum quod hic ades nunc, sed etiam quod cum his ades cum tibi amicißimis, tum mihi. Nam & mihi erat otium hoc diei, quod reliquum est, atque has horas meo arbitratu consumendi: & eas ipsas horas uestro aduentu mihi uideo multo suauiores & iucundiores futuras: modo nequid uobis negotij sit, quod sanc uelim. Nos quidem

dem ſumus inquam Sigiſmunde otioſi. Itaque ad te uenimus, ut quoad tu uacuus eſſes, tecum eſſemus. Putabamus autem, quoniam Pontifex in Oſtienſi aberat, fore, ut te curis occupationibuſq; ſolutum offenderemus. Vos quidem ille & recte inquit putaſtis, & feciſtis amantiſſime: nihil enim fere ago, ut uidetis. Itaque nihil mihi potuit eſſe opportunius uobis tribus. Sed quid eſt Beroalde, quod te atque hunc ſubtriſtes uideo? Nam de Bembo nihil miror: ſcio enim ipſum Guidi Vbaldi Vrbini Ducis morte confectum magnopere dolere. Tum Philippus, Quid tu autem Sigiſmunde inquit, cum ſcias Bembi mœroris illam eſſe cauſam, quam dicis, noſtri amborum quæ ſit, ut etiam pro hoc Sadoleto reſpondeam, nõ perſpicis? an tu illum unũ ex tanti uiri interitu dolore affectum exiſtimas, cæteros nihil? Quod ſi nos id non moueret, quod hic propterea maximam animo ægritudinem & moleſtiã cæpit, quem quidẽ mœrentẽ aſpicere ipſi certe ſine mœrore non poſſumus, publicæ tamen iacturæ nos ratio tangeret, efficeretq; ut doleremus. Omnibus enim hominibus interijſſe exiſtimandus eſt is, quem omnes homines dilexerint, cuiusq; ſalus atque uita fuerit cum omnium hominum uoluptate coniuncta. Quam ob rem ſcias tu quidem nos ea ipſa cauſa triſtes eſſe, qua Bembus eſt, uel potius qua cæteri: ad te autem idcirco uenisſe, ut abs te multa de ipſius Ducis morte audiremus. Nam quæ circunferuntur, uera ne an falſa ea ſint, comperti nihil habemus. Hic autem Bembus, quem profecto his de rebus, quoniam ſummo amore, illum, ſummo cultu proſequebatur, eratq; ei perfamiliaris, quæſiſſe diligẽter exiſtimabamus, ſeſe ait

uno mortis nuntio audito cauſam habuiſſe nõ tam ut multa tum quæreret, quàm ut multum ſemper quereretur. Te uero ſcimus cum propterea, quòd ſummo Pontifici adſiſtis, tum uel maxime quoniam noſtrorum temporum hiſtoriam conſcribis, horum omnino nihil latere. Quæ cũ ille dixiſſet, Quid uos iſta inquit Sigiſmundus, Beroalde ac Sadolete triſtia lugubriaq; poſtulatis? parum ne ea doloris, parum nobis acerbitatis tunc attulerunt, cum primum ſunt audita, ni refricare me nunc etiam uultis, quod quidem iam cicatricem ducere, & tanquam ſanatione ſic leuari ſilentio poterat, recordatione iubeatis? Parum Hercle utiliter Bembi mœrori, uel etiam parum amanter conſulemus, quem quidem æquius fuerat ab eiuſmodi cogitationibus quàm longiſſime abducere, iſta ſi nobis illo audiente ſunt recenſenda. Non enim puto uelle te illum aliquò abſcedere, ut à me ſermo uobis unis habeatur. Itaque in aliud iſta potius tempus, ſi placet, reijciamus. Ipſa enim efficiet dies, ut quæ nunc quidem reminiſci ſine luctu ac moleſtia non poſſumus, ea poſtea minore animi offenſione repetantur, cum iam langueſcere dolor cœperit uel aſſuetudine ipſa, uel obliuione. Tum Sadoletus comiter illius dexteram apprehẽdens: incredibilis eſt enim in eo uiro, ut ſcis, ſumma cum morum animiq; ſeueritate comitas æquabilitasq; coniuncta, Imo uero inquit tu iſta hoc tempore Sigiſmunde: Sic enim nos magna moleſtia leuabis. Multa enim dici his de rebus quotidie audimus nõ uno modo, quæ quibus eorum potiſſimum adhibenda fides ſit, dum ſatis exploratum non habemus, ſingula nobis dolorem

incutiunt, tanquàm uera: quod nõ fieret, si te audissemus. Neque uero debes existimare Sigismunde earum rerum auditione Bembum immunem esse, etiam si minus in quæstione sit, quàm nos sumus. Nam quoniam quantus ei cum illo utro usus beneuolentia consuetudo fuerit, omnes homines intelligunt, nemo ipsum inuisit, quin illum ijs de rebus interroget, quæ dicantur in foro, quæ sibi allata sint, explicet, quæratq; num sint uera. Quam ob rem nihilo ipsius minus interest, quàm nostra, quemadmodum se res habeat abs te recenseri: ne, dum omnia incerta illi sunt, plures se habere causas cur doleat, laxioresq; quàm necesse sit habenas existimet, & quasi excursum patentiorem mœrendi. Tum ille, Equidem lætiora inquit hilarioraq; inter nos agi hodie Sadolete maluissem, quæq; nostros animos minus essent exulceraturа, quàm ista erunt, quæ postulatis. Nullæ enim recordationes tam faciunt dolorem, quàm earum rerum, quæ cum nobis charissimæ fuere, tum sunt recenter amissæ. Verum si ita uultis, idq; Bembus iubet, neq; uestram, neque illius autoritatem sum declinaturus. Cui cum me uelle ostendissem, Quid autem inquit explicari uobis potissimum iubetis, illa ne, quæ ad ipsum tantum mortis genus pertinent, an ea, quæ ante eucnere, quæue post mortem sunt consequuta? quæ cum longe quidem plura, tum non ita sunt acerba, quædam etiam iucunda & grata. Tu uero potius omnia inquam, tristiora quidem atque acerbiora primũ, ista post. Quanquàm omnino grata & iucunda esse quædam quod dixeris, cæteris fortasse non ita, mihi quidem ualde miror. Quid enim potest esse iucundum

dum alicui, qui id, propter quod omnia sibi iucunda erãt, amisit? aut quid gratum accidere potest ei, cui id ipsum, quod supererat quodq; uiuit, est ingratum? Itaq; hoc ipsum iocundi atque gratí nomen sublatum mihi è uita penitus uideo. Sed incipias, si tibi uidetur, quæq; tibi his de rebus omnibus certa exploratáq; sunt, explica. Vt lubet inquit: sedentes tamen potius, si uobis placet, agamus. Vel enim ætas mea iam grauior, uel imbecilla ualitudo, quam utor, facit, ut quoties paulum deambulauerim, aut etiam steterim, tanquàm opere aliquo magno functus sessionis indigeam. Vt tibi inquam est cõmodissimum, sic facias. Quod cum placuisset, ad eiusq; pluteum una omnes consedissemus, Quoniam inquit ita iubetis, dicam, si potero, ea, quæ his diebus ad pontificem maximum Federici Pontificis Salernitani cum prudentibus, tum plane uberibus literis sunt allata: quem quidem Pontifex Maximus, cum de salute Ducis spes iam prope reliqua nulla esset, cũ ad regni negotia procuranda, tum ad uxorem Ducis consolandam, si uir moreretur, magnis itineribus misit. Hic Sadoletus, Neque grauioris inquit uiri, neque nobis amicioris afferre testimonium poteras eo ipso, quem dicis. Quid uero ipsæ literæ Sigismunde, apud te ne sunt? Sanè inquit ille. Quin tu igitur, si est ita inquit, perlegi eas potius nobis audientibus iubes, quàm earum tute seriem memoria repetẽdo nobisq; recensendo defatigere? Tum ille, recte inquit mones, nõ tam quidẽ ipse ut ne defatiger: quantus est enim labor ea, quæ scias quæq; memineris, loqui, sedentẽ præsertim, hominibusq; familiaribus ac plane amantissimis tui? quàm ne uobis eius uiri, quem diligitis, epistolarũ

suauitatem ac leporem uel inuidisse uidear, uel neglexisse. Neque enim ut uos scire arbitror, minus ille conscribit amabiliter, quàm loquatur. Tunc Philippus, istos tu quidem potes inquit recte scire id, quod dicis, arbitrari, Bembumq; in primis: qui quidem Bembus cum ad illum amandum accessit prior: tum est ei omni genere necessitudinis planè coniunctissimus. Ego autem, quoniam illum mihi hominem fortuna multò quàm his serius Bembo etiam interruntio conciliauit, eius scriptorum adhuc ne pagellam sum quidem ullam subodoratus: cuius me meæ negligentiæ planè suppudet. Itaq; scias mihi te mihi æque facere posse, ac si istas afferri literas iusseris, gratum. Afferantur igitur actutum inquit ille, quando tibi id futurum Beroalde gratum putas. tum ad puerum conuersus, abi uero tu propere inquit, easq; literas affer, quas hic dicit. Qui cum paruisset, reuersusq; cum literis astitisset, Recita uero inquit ille, ita, ut ab his exaudiare. Tum puer replicatis literis eas clare perlegere stans incepit. Eæ autem erant scriptæ literæ sic.

Federicus Fregosius Pontifex Salernitanus Iulio secundo Pontifici Max. S. P. D. Cum idibus Aprilis ad Forũ Sempronij uenissem: qui dies fuit postridie eius diei, quo abs te Roma profectus sum: Guidumq; Vbaldum Vrbini Ducem auunculũ meũ uita functum comperissem, quemadmodum mihi præceperas, ut Helisabetam uxorem Ducis, tuo nomine conuenirem, statim feci. Eam autem humi prostratam ita misere offendi flentem plorantemq; solitudinem suam, ut neque modus, neque intermissio lachrymarum, neque ulla sanè leuatio uideretur futura: me uero,

me uero, qui propemodum in eius sinu natus, alitus quidem certe ab illa sum, uix agnoscerem: cum iam totum biduum sine somno, sine ullo cibo fuisset, decreuissetq;, ut aiebant, non iam amplius superesse, sed planè mori. Itaque tibi uere possum dicere, me, quem quidem ad consolandos alios miseris, cum eius mulieris pietate, tum dolore, quem ex auunculi mei morte conceperam, ea conspecta uehementius permotum ipsum plane consolationis indiguisse. Sed collegi continuo me: iamq; non tam quis essem ipse, aut quibus essem opibus spoliatus, quàm cuius nomen atque maiestatem mihi tuendam suscepissem cogitans, & quasi te intuens, in eam curam incubui, primum, ut mulierem tuo nomine salutarem, deinde quanta molestia, quanta animi perturbatione eius de salute uiri tristes nuntij te affecerint, ostenderem: nihil tibi magis præter uotum potuisse accidere: qui illum à puero tam amaueris semper, ut plus neminem: tanti autem feceris, ut te illi uni supra omnes homines tribuisse, orbis ipse terrarum uniuersus sit testis: Postremo afflictam mœrentemq; consolarer: quàm sane partem, quoniã ita mihi ui sum est rem tempusq; postulare, tuq; de eo mihi diligentius mandaueras, ut nihil prætermittere, quod ad illam molestia leuandam pertineret, egi equidem pluribus. Verum hæc ipsa post. Nunc ad illa uenio, quæ ante meum aduentum acciderunt: quibus ea quoniam consequentia sunt, tota tibi rerum series sic exposita explicataq; magis patebit. Quæ quidem eiusmodi sunt. Nam quæ ad regni negotia pertinebant, ea omnia sic se propemodum habebant, nihil ut tu aliter statuere optareq; potuisses, non quod ita

ferret casus, ut res, uti maxime uellemus, sic caderent, & suo quasi cardine uoluerentur: sed quia prouiderat uxor Dux, effeceratq; suo consilio, ut ne inclinarent secus. Itaque mulier eandem illam prudentiã, sapientiam, animi magnitudinem, quas quidem uirtutes in suo postea magno dolore abiecerat, in tui fratris filij dubijs rebus sibi socias comitesq; aduocauit. Nam cum de salute Ducis eo perducta res esset, ut minus ille spei de se, quàm timoris, coniugi domesticisq; reliquisset, rumor etiam falsò tum quidem, sed tamen esse illum mortuum emanauisset, populi, ut fit, nouarum rerum cupidi, propterea quod is nullos ex se liberos genitos relinquebat, animos erexerunt: nõnullæ urbes iam ut aut harum aut illarum essent partium, palàm egerunt: ipsæ arma ceperunt: ex agris clientelas armatorum hominum receperunt. Itaque Dux cum uideret uiro suo plane mortuo fore, ut omnia bello & seditionibus arderent, quæ uiuo etiam accendi iam inflammariq; cepissent, quemq; sibi is aliquot antè annis adoptauerat tui fratris suæq; sororis filium, ei propterea uehementer timeret, non mariti salutem dubiam flendam, sed consulendum filio, non dolori cedendum, sed resistendum audacibus, nõ lamentis muliebribus incumbendum, sed forti ac uirili animo sibi plane utendum putauit. Itaq; ad Vrbinates, ad Calleuicanos, ad Eugubinos, quæ quidẽ oppida omnium prima nouas res moliri audiebantur, præmissis legatis perspectæ prudentiæ magnæ auctoritatis uiris, exercitibusq; celerrime comparatis, celerius autem subsequi iussis quo oporteret, bonos quosque uiros per eosdẽ legatos perq; literas appellando, minus bonos

hortando atque monendo, reliquos uel deterrẽdo uel cohibendo perfecit id, quod posse fieri nullo plane modo existimabatur, ut paucorum dierũ spatio omnes in fide atq; officio continerent. Itaq; postea morte principis uere audita nulla urbs, nullus uicus, nulla deniq; domus non modo non desciuit, sed etiam id aggredi ne cogitauit quidem. Quam ob rem huius abs te mihi crediti atque iniuncti muneris partem regni scilicet procurationem atque curam, in qua multum sane laboris, multum operæ futurum putabamus, leuissimam mihi eius mulieris industria atq; uirtus fecit. His itaque sic dispositis atque comparatis Dux pauculos sane dies ægre morbo cum restitisset, ingruente eius ui ad tertium Idus Aprilis nocte media mortẽ obijt apud Forosempronienses, quo se extrema hyeme propter ãeris temperiem salubritatemq; contulerat: itaq; obijt, ut usque dum interiret, integris esset semper sensibus, eademq; prope, qua uti recta ualitudine solebat, memoria grauitateq; loqueretur. Morbus autem eiusmodi fuit. Nam quoniam pedum dolore Dux quatuor atque decem annos leuiter quidem primo, ut fit, ac per interualla longi temporis, fortius mox ac crebrius, acriter frequenterq; postremo laborauerat, eò res uenit, ut qui ualentissimo prius stomacho utebatur, ad extremũ imbecillissimi esset planeq; multo putidissimi, ac nunquam quidem ex podagra, quin aluo quoq; fluxa mox laboraret, uigilia etiam & sæpissime uexaretur, & planè diu. Ad incredibilẽ igitur his de causis maciem debilitatemq; perductus, pedum ac prope totius corporis doloribus, serpserat enim ea uis latius, citaq; maxime aluo & uigilijs plures dies cum laborauisset

borauisset, febricula adiuncta paulatim confectus uidens loquensq; decessit sine ulla ui. Assidebat ei morienti ex mulieribus uxor Dux manum uiri sua manu tenens, atq; illum semper intuens abeuntem animam suo quasi ore exceptura. Aderat fratris eius quondam uxor Aemilia Pia, magni animi, multi consilij fœmina, summæq; tum prudentiæ tum pietatis: Soror etiam ipsius ea, quæ mihi est mater. Neptes duæ, Cognatæ aliæ: Ex uiris autem ille ipse fratris tui filius, Octauianus meus frater, necessarij, quibus cum ille alitus fuerat uixeratq;, permulti: Quos quidem est omnes paucis ante quàm emigraret horis, mori enim se sentiebat, solatus hunc in modum. Vitæ mihi finis adest, ut uidetis: uocor enim iam ab ijs, qui me hic esse, quandiu affui, uoluerunt: quibus ego gratias ago cum de ea, quam uixi, uita: neque enim uel me multum quantum uixerim pœnitet, uel uos arbitror pœnitere: tum quod uos intuens morior: quos ego quoniam superstites relinquo, morior libens. Non enim mihi uideor interire, cum uos habeam, quorum in animis singulorum atque memoria certe potero quasi sæpius uno tempore uiuere. Itaque omnia me à Dijs immortalibus impetrasse existimabo, si à uobis hoc impetrauero, ut quasi ego uobiscum sim, ita uiuatis. Teq; imprimis mi fili, quem ego, cum ex sororibus alios haberem, quemadmodum te habebam, tamen filium mihi esse uolui, existimans mei quam simillimum futurum, decet, perinde atq; me testem semper habeas, facere dicereq; omnia: ita enim non meo filio dignum neque dices quicquam, neq; facies. Adero autem tibi semper Fili, deq; ea regione, ubi me esse

esse uolent Dij, te tuaq; facta dicta omnia intuebor atque audiam. Maxime autem omnium cum Iulium Pontificē Max. patruū tuum, tum Federicum Ducem patrem meū & Ioannem Præfectum urbis patrem tuum colere imitariq; te oportet: quorum alter, quoniam uiuit, cōsilijs præceptisq; te iuuare plurimum potest, alter uero exemplis. Demum sic te ad bonas artes da, ut quemadmodum ego certe à patre meo uirtutum omnium exempla, tu à me fortasse capere aliquarum potes, sic abs te liberi tui capiant. Postremo tibi illud præcipio, ut Ducem matrem tuam omnibus in rebus audias, omni genere pietatis colas: ita enim altero ætatis tuæ imbecillitatem facile fulcies, in altero mihi gratissimum feceris. ualde enim cupio, quicquid illa fidei, amoris, obseruantiæ in me colendo contulit, tua te in illam pietate charitateq; reponere: quæ quis debet autem, ut qui hæres est, is dependat, est æquissimum.

Tibi uero mea optima atque charissima uxor nihil quidē præcipio. Quid enim tibi præcipiā nunc, cū morior, quæ dum uiuerem, locum mihi ne monendi quidem unquam ullum reliquisti? quæ te æquum erat facere, semper ipsa per te fecisti? Hortor autem, & si pateris, rogo, filij uti regnum procures: ipsum quod supereſt, ita instituas, ut se nobis dignum præbeat & maioribus suis. Cæterum illud etiam atque etiam abs te peto, ut cum reliqua omnia, quæ tibi ipsa præcipies, feceris, meum interitum ne fleas, neue perturbes eam, qua me spero apud Deos tranquillitate quieteq; fruiturum, nisi me tuæ lachrymæ impedient. Hæc ille, ut aiebant, cum dixisset, suiq; memoriam matri meæ & fratri reliquisq; omnibus grauissi mis

uißimis amantißimisq; uerbis commendauiſſet, paulum quieuit. Vocari dein ad ſe Foroſempronienſium epiſcopum iußit: qui quidem cum ſacerdote, cumq; ijs, quæ rite decedentibus adhiberi ſolent, ſacris, aſtans Deos illi ſuperos atque manes placuit. Quem ille ſic exaudiebat, ut eius uerbis uſque adnueret ferè, dum eſt mortuus. Quo ſane tempore cum ad uxorem ſuosq; omnis conuerſus, atque ita tum illos intuens, tum ea quæ dicebantur excipiens aliquandiu conſtitiſſet, leuiter demum ſe auertens credo ut minus illos cõmoueret, temporiq; alteram ſupponens manum, tanquam ſomno ſe perpetuo componeret, ſine ullo corporis aut uultus motu ita placide tranquilleq; deceßit, ut quaſi quieſcere uideretur. Itaq; aiunt, neque ſanctius, neque conſtantius, neque omnino pacatius potuiſſe quenquam mori illo uiro. Hic Dux, quæ quidem quandiu ſenſus aliquis in illo fuit, ſiccis ei oculis ſemper aſtitit, ne flens abeuntem ſui miſericordia perturbaret, ut primùm ille ſpirare ac uiuere deſtitit, amens ſe in eum proiecit, altißimaq; uoce, heu mi uir exclamantem cur me deſeris? quo abis? reliquit eam animus doloris uictam debilitatamq; magnitudine. Aderant, qui uere mortuam crederent: ita nullo accurrentium ſtudio poterat, nullis medicorum remedijs artibusq; reuocari. Itaque duorum unà interitum atque mortem flebant, alteram quidem iuſtius, mulieris autem miſerabiliorem interitum genus ipſum mortis pietasq; faciebant. Sed dij tantum mali prohibuerunt. Nam cum illa prope id, quod erat nobis reliquum, inter ſuorum manus nihil audiens nihil ſentiens frigida exanimisq; iacuiſſet, tanquàm reddita à Dijs immortalibus uita, ſpirare, auraſq; tandem ducere pauliſper cœpit: oculis deinde cœlo hauſto, atq; in eos intuens, qui fugientem illius animam retinere quoquomodo poterant conabantur, ut primum loqui potuit, Quæ nam hæc tam importuna inquit cura, quis hic ueſter tam intempeſtiuus labor fuit? cur me meum ſequi dominum crudeles impijq; prohibetis? cur mihi ut quem uitæ ſocium habui eundem mortis habeam inuidetis? Me miſeram, ille abijt, ego maneam? nõ manco, imò te mi Vir ſequor. Hæc illa, cum dixiſſet, lachrymarum quaſi riuus fluere eius ex oculis cœpit: tum unà queſtibus, fletibus, lamentationibus impleri miſcerique omnia. Nulla planctuum, nulla dolentium uerborum, nulla uis unquam maior lachrymarum fuit. Itaque ſic illa biduum cum fuiſſet, ut ſe adeuntibus, ſolantibus, ſomnum aut cibum caperet ſuadentibus nihil omnino aliud, niſi ſe mori uelle reſpõderet, ego aduenio: domum pullatam, lugubrem, deſolatam, plenam ſordibus, fratris tui filium familiaresq; perturbatos, deq; matris atq; principis uita iam prope deſperatos inuenio. Flentes me, ut ſubueniam, rogant, rebus labentibus opem feram: uel me unum eſſe, qui id poßim, uel neminem: reliquarum ſibi fortunarum omnium ſummam ex me pendere. Quæ intelligens, magnitudinemq; rei æſtimans in eam mihi partem uehementius inſiſtendum putaui, quam neque tu prouideras, neque ego mihi tractandam exiſtimauiſſem, ut mulierem, ſi poſſem, ab inſtituto mortis conſilio cogitationeq; reuocarem. Itaque omnes eas rationes colligens, quibus maxime poſſe me id cõſequi exiſtimabam, neque breui oratione illam, neque, ut uerum fatear,

tear, siccis oculis sum aggressus: quæ tibi non perscribe-
rem, nisi mihi discedenti præcepisses, non de rebus modo
singulis, quas agerem, sed etiam de sermonibus, deq; ipsis
planè uerbis, quibus uterer, te ut facerem certiorẽ. Nam
quòd mariti sui maximi & clarissimi uiri, deq; se optime
meriti mortem lugeret, in eo dixi nihil habere me, quod
reprehenderem: esse illud coniugis, esse castæ mulieris,
esse amantis officium: nullis neque legibus, neque planè
institutis prohiberi, ne nobis cum cõiunctorũ, tum planè
charissimorum obitum interitumq; lugeamus. Quod au-
tem ita doleret, ut etiam uita cedere uideretur statuisse, id
uero non solum nos, qui illã amamus, aut gentes eas, qui-
bus præesset, sed omnium etiam nationum, omnium secu-
lorum omnes homines improbaturos, Deos deniq; ipsos,
sine quorum nutu, quoniam in uitam eorum cõcessuueni-
mus, non est è uita migrandum, ægre indignantérq; latu-
ros. Nam si propterea inquam doles, quod uirum amise-
ris, est id quidem omnino durum, sed tamen cõmune tibi
cum multis. Omnes enim ferè mulieres, quæ unquam nu-
pserunt, uel superuixere uiris ipsæ, uel illos supstites mo-
riendo reliquerunt. Vtram uis conditionem abnuere per-
iniquum quidem est, indignantisq; uel sibi æternitatem
non dari, si ante moriendum sit, uel, si post, uiro. Sinautẽ
idcirco angeris, quod eo cares uiro, qui cum à te propter
suas innumerabiles eximiasq; uirtutes summopere ama-
retur, te etiã summopere amabat, cogitare debes, æquius
esse uelle te frui uita, ut gratiam tam præclari accepti mu
neris referre Dijs immortalibus possis, quàm, ne amissi
dolorem sentias, mori: ne uideare in eo cum timidi ac pu-
silli

silli esse animi, tum planè etiam ingrati. Quòd si te illud
fortasse mouet, quod is admodũ iuuenis interierit, cumq;
adhuc uiuere aliquot annos posset, tum coactus sit è ui-
ta, tanquam è scena nondũ conclusa fabula discedere: Vi
de quàm peruerse agas. Ille enim tandiu uixit, quàm be-
ne sibi atq; utiliter licuit uiuere. Regnum suum, ex quo
illum olim potentissimorum hominũ perfidia expulerat,
sua uirtute cũ recuperauisset: agros, oppida, urbes suas,
in quas eadẽ illa calamitas inuaserat, partim uastatas &
dirutas, partim exhaustas & oppressas in pristinam fã
ciem restituisset: populos belli muneribus cõsumptos pa
ce atq; immunitatibus exhilarauisset: rem suam militarem
maximis imperijs auxisset: sibi filium, regno hæredẽ, po
pulis ducem, ipsi nouas affinitates acquisiuisset: teq; ha
beret, cui tutò regni habenæ, quoad filius per ætatẽ ido
neus ad eas suscipiendas tractandasq; esset, committerẽ-
tur: pedum dolore plures annos cum laborauisset: ad
extremum ingredi nihil posset: excessit è uita suo tempo
re, ut mihi quidem uidetur: nostro fortasse minus, quibus
ille suæ cum prudentiæ & sapientiæ, tum beneuolentiæ
atque amoris triste sanè desiderium reliquit: sed est o-
mnino ferendum. Itaque ille, quoad potuit commode &
cum dignitate esse, nobiscum fuit: atque ita fuit, ut suorũ
nobis cum factorum tum dictorum omnium recordatio-
nem atque memoriam charissimam iucundissimamq; reli
querit. Nunc autem: cum neque se exercere amplius, ne-
que horam ferè esse sine doloribus posset: cò abijt, ubi
cum patre suo amplissimo ac propè cœlesti uiro inter
ipsos Deos lætus atq; hilaris æuo perpetuo ac sempiter-

no fruatur. Quamobrem illius causa nihil est, quod tam misere doleas, ut uitam tibi cum morte commutandam putes. Nihil enim illi mali accidit. Nam quid accidere mali potest ei, qui nihil unquam admisit mali? nisi tu quidem ex labore ad quietem, ex dolore ad indolentiam, ex morbo ad sanitatem, ex ætate breui ad perpetuam, ab exilio hoc quidem misero ac permoleſto ad illam iocundiſſimã beatiſſimamq; patriam cœlum ipſum Deorum ſedem atque ſolium homines pertendere malum putas. Tua cauſa ſi te confectam uis, iam iſtud quidem damno ac detrimento ſuo magnopere commoueri neque magni animi eſt, neque eius quàm triſtitia atque aduerſa aliquando exercuerint. Quod ſi tu ea eſſes, cui nulli unquam uenti reflauiſſent, quæq; in uita nihil eſſes moleſti perpeſſa, nihil duri, tamen iſtum te tuum caſum tam impatienter ferre iniquiſſimum duceremus: ſumma enim tua illa incredibiliq; ſapientia tibi Deorum immortalium munere conceſſa, qua dare alijs conſilium conſueuiſti, quaque pluribus non mitiſſimis gentibus ſanctiſſime prudentiſſimeq; moderaris, hoc te tempore non uti uix eſſet ullo modo ferendum. Nũc uero cum ab ineunte ætate aliquid tibi fortuna ſæpiſſime iniecerit acerbi, quo te uexaret, nullum ferè tempus tranſegeris ſine moleſtia ſine labore, regni tandem tui ſede atque faſtigio deiectam, dignitate opibus fortunis omnibus ſpoliatam uideris, egens inops exteras alienasq; gentes adieris, oraueris, uirum ipſum tuum biennium exulem, aſperrimo in bello ſocietatibus infidiſſimis implicitum, extrema omnia perpeſſum ſingulis horis audieris, captum ac mortuum ueritã ſæpius fueris, credideris

credideris aliquando, deſleueris nonnunquam, hæc ſane oĩa forti atq; erecto animo cũ pertuleris, nũc te inquam uinci dolore atque frangi & quaſi obrui fluctu ſines? Vide quæſo, ne reprehendenda ſis nõ ſolum quod imbecille agas nunc nimiumq; muliebriter, ſed etiã propterea, qd' quibus in rebus antea te fortiter conſtãterq; geſſiſti, quæ res et permultæ quidẽ ſunt, et in hominũ mentibus inſident, ijs tu rebus omnibus quaſi maculam, ſic iſtum languorẽ aſpergas, earumq; gloriã et ſplendorem priſtinũ excutias noua iſta animi tui cũ egritudine nimia, tum deiectione. Continuandus profecto uitæ tuus tibi tenor eſt, atque in ea, quam & a principio fortiter ſuſcepiſti, & poſtea laudabiliter ſuſtinuiſti, perſona uſquequaq; permanendũ: ne ſi prioribus ultima iſta non conſonent, caſu illa potius ac temere nata, quã tuo conſilio tuaq; uirtute mentisq; magnitudine ſuſcepta eſſe confectaq; uideantur. Itaque eripe te his cogitationibus, quæ tibi rectũ iudicãdi ſenſum eripuerũt: erige, excita te, expergiſcere, aufer ex animo tuo iſtum anguorem, uel, ſi id non potes, remitte, ac tandẽ uiuere, quàm mori, ſatius puta, Quod quidẽ tua ſi cauſa minus adduci potes, ut efficias, filij te tui pietas moueat ut adducare: qui quidem quanquam ea indole ijs que moribus eſt, ut nõ tam à te tuoq; uiro adoptatus, quam ex uobis genitus fuiſſe uideatur, eius tamen imbecilla ætas tuis eſt maxime et conſilijs & inſtitutis confirmanda. An ignoras, quibus illum regendis populis, quibus gentibus & puerũ et ſolum ſis, ſi abieris, relicturas quã ferocibus, quã aliqñ detrectantibus nõ iniquiſſimũ iugũ quoſq; propemodũ poſſis dicere Appẽnino ipſo, quẽ

incolunt, duriores? Age uero, sint ij mites, tractabiles, pacati. Quid te tandem facere oportet, cũ ille ipse tuus uir, quo nemo unquam grauior, nemo prudentior fuit: tibi, ut audio, cum decedens sua uoce præceperit, tum fidei tuæ testamento commiserit, ut in regno gubernando ita filio adesses, ut illi præesses, ita consuleres, ut tibi is parêret, rerum deniq; omnium summam penes te haberes, quoad ille quinque & uiginti natus annos esset. Hãc tu illius contra uoluntatẽ facere salua pietate non potes. An tu illi, quandiu uixit, omnibus maximis minimis in rebus cum fueris obsecuta: una in re morienti aduersaberis? ut qui te uiuus reprehendere nunquam potuit, mortuus posit? At hercle si tu illum non amauisses, si ei nũquam aliàs obtemperauisses: tamen quoniam nescio quo pacto natura comparatũ est, ut mortuos quàm uiuos maiori pietate prosequamur: obsequi deberes hac in re illius sanctissimis beatissimisq; manibus: teq; in uita, quoad per ficere id posses, continere. Nunc autẽ cũ in reliquis præstandis officijs uniuersæ uiginti annorum uitæ, quos cum illo concordissime ac sine ulla querela peregisti, nihil abs te peccatum sit, cũ quidem culpa, si peccauisses, & tutior fuisset & uenia dignior: in uno uis nunc, & quidem longe maximo, maximeq; tibi suscipiendo sustinendoq; officio peccare? ut tuus ille perpetuus obsequẽdi uiro mos quasi consenuerit, tum, cum minime decuit minimeq; opus fuit, frangatur atq; deficiat? Ne Dux, ne mea hera, ne mater charissima id facias: ne'uc cõmittas, ut alie nissimo filij, qui ætate impar ad regendũ imperiũ est, alie nissimo populorũ tempore, qui tuis imperijs assueti tuam pruden

prudentiam, iustitiam, temperantiam, æquabilitatẽ expe tunt, aliorum uolunt experiri: alienissimo etiam tuo, quæ pietate hac uiri manibus exhibita reliquam totius tuæ uitæ erga illũ pietatem honestissimo quasi septo concludes, reiecta & præterita dissipabis, cum te nobis omnibus eripias, tum tibi. Satis mediusfidius satis, aut etiam nimium cito celeriq; per sese gradu mors tum, cum nobis moriendum est, uenit: ne tu illius pedibus alas etiam addas, te ut adeat inuisatq; temporius. Atque hæc quidem, quæ nunc dico, non propterea dico, quod is, qui me ad te misit, Iulius Pont. Max. ea mihi tecum agenda tractandaq; mandauerit. Ille enim quo est erga te sensu atq; iudicio, nunquam eò inducere animum potuisset, ut cogitaret te fœminam innocentissimam, sanctissimam, prudentissimam, supraq; mulierum consuetudinem rebus aduersis ferendis constantem atq; fortem, ita mentis inopem, ita consilij egenam, ita te ipsa excussam & eiectã iacere, mori etiam ut decreuisses. Sed profecto quæ æquum erat sapientissimum hominem de fœmina præstantissima cogitare, ea de te cogitauit, si uir tuus uita exiret, quoniam illum summopere amabas, fore, ut ea res magno te dolore magna molestia afficeret. Itaque iussit suo te nomine, ut afflictam, non ut mori cupientem, consolarer: hortareq; hominem te esse natam meminisses, nihil humani à te alienum putares: nihil accidisse tibi proprium ducares, aut etiam nihil nouum. Viri tui desiderium si non æquo & pacato animo, at forti & constanti sustineres: Eos, qui tibi illum dedissent, repetendi cum uellent ius habuisse: tibi concessisse tuo uiro perfrui multo diutius,

quàm uxoribus innumerabilibus conceſſerint conceſſuriq; ſint ſuo: immoderate intẽperanterq; ferre id, de quo etiam referre gratiam debeas, eius eſſe, qui Deorum immortalium muneribus plane abutatur: An neſcires illum ea lege natum, ut eſſet, qui omnibus horis poſſet mori? Non ſingulos modo homines, Sed uniuerſas etiam nationes interire: Eius, qui ſancte, prudẽter, temperate, ſumma gratia, ſummis honoribus, ſumma cum dignitate uixerit, memoriam pietate & beneuolentia eſſe, non luctu aut egritudine proſequendam: Ipſum, quo in te animo ſemper fuit, ueriſſimum quidem eſſe, moleſte ferre angi turbariq; que te. Itaque lachrymis modum poneres, te conuerterés ad tranquillitatem. Dares hoc illi mortuo, qui abs te id flagitat: dares tuis, quos omnes neceſſe eſt multum ex tuo luctu doloris moleſtiaeq; traxiſſe: Poſtremo ſibi etiam dares, cuius erga te uoluntati maxime charitatiq; deberetur. Nullum eſſe dolorem, qui diuturnitate non molliatur: ei diuturnitati tua te prudentia non præcurrere, quod ſingulæ ſæpe mulierculæ faciunt, neminem æquo animo laturum. Mentem denique ac cogitationem tuam ad regendos populos traduceres: eos ſe tuæ prudentiæ tuæq; fidei committere, Filium tuum, qui fratris ſui filius eſſet, optimis moribus, optimis artibus inſtitueres: ei populos confirmares: quæ te digna eſſent, tractares potius, quàm ea, que alias mulieres facere ipſa & ante hoc tempus improbauiſſes, & paulopoſt hoc tempus eſſes deinceps improbatura. Hæc à te uel hortando, uel rogando, uel monendo, uel planè etiam præcipiendo impetrarem: uel amori ſummo erga te ſuo id concederes,

uel ei,

uel ei, quã is à Dijs immortalibus ſuſtinet, maieſtati: quã quidem maieſtatem tu ſemper maxime omnium eſſes ueritati, eiq; plurimum tribuiſſes. Quod ad ſe attineret, confideres nulla in re tibi defuturum, quã ſciret ad te tuamq; dignitatem pertinere: eoq; ſe tuas res, tuasq; fortunas omnis, teq; ipſam maiori ſtudio ac pietate in fidem et clientelam ſuſcepturum, quo te ſciret tali tantoq; uiro ſpoliatam, cuius & amore & conſilijs nitebare, firmiori adiumento atque præſidio ad te regẽdam et ſuſtẽtãdam egere. Hæc atque his ſimilia in hanc ferè ſententiam cum dixiſſem, ſic ab illa diſceſſi, ut mihi polliceretur, quoniam ita tu uelles, ſe daturam operam ut uiueret: quandiu autem uiueret, tandiu ſe in luctu atque acerbitate ſcires futuram. Que cum eius filius familiaresq; reſciuiſſent, eas tibi apud me gratias egerunt, ut dicerent, ſeſe, illa ſi uiueret, tibi uni acceptum relaturos, me uero ſibi è cœlo miſſus putarent, qui tam tẽpore uenerim. Hæc cum puer recitauiſſet, uelletq; pergere ad reliqua, tum Sigiſmundus manu ei adnuens ut ſe ſuſtineret, Quod nam autem ex his literis Beroalde inquit de Federico meo tuum iudiciũ eſt? Libet enim mihi illum meum appellare, qui quidẽ ex Pontificis mei familia eſt, quemq; is ualde diligit, ego autem unice atque ſummopere amo: quàm is belle tibi uidetur ſcribere? eiusq; ſcriptionis quam probas genus? uiſus es enim mihi auidis admodum auribus hanc epiſtolæ partem quaſi bibiſſe. Ego uero inquit ille, uideri tibi recte potui is, quem dicis: qui quidẽ certe mihi etiã uiſus ſum nihil oĩno unquã libẽtius audiuiſſe. Sed nolo tibi meũ iudiciũ afferre: niſi prius uniuerſæ epiſtolæ ſeriẽ atq; ſenſum

percepero: uideo enim supereſſe etiam, quod audiamus. Itaq; ad reliqua, ſi tibi uidetur. Mihi quidem uidetur in quit. Perge igitur Puer tu, atq; explica de epiſtola, quæ ſequuntur. Tum ille ſuum ad munus cum rediiſſet: ſic eſt proſequutus. His confectis Vrbinum noctu nobiliorum humeris delatum cadauer eſt multa face, interq; maiorum ſepulchra compoſitum phano, quod ſibi ipſe uiuens conſtruxerat. Ea in urbe poſtridie mortui Ducis teſtamento recitato, eius filius more maiorum urbem in equo ac ueſte regia perambulans, Dux appellatus, ſalutatusq; eſt: Poſt eum diem reliquæ urbes omnes miſſis legationibus idem fecerunt: ipſumq; Ducem conſalutauerunt. Iuſtis etiam patris manibus peragendis dies eſt dicta ante diem quintum Nonas Maias. Per hoſce interea dies uel neceſſarijs uel amicis regulis atque principibus aut ipſis, aut certe per legatos Ducem atq; matrẽ Ducis, hanc ut conſolarentur, illi etiã ut gratularẽtur, adeuntibus, municipijsq; immunitates cæteras q; eius generis largitiones petentibus eſt uacatum. Quanquam quidem nõ tam illi mulierem magni nominis adierunt: quàm planè ſimulachrũ umbramq; mulieris, uel potius effigiem ſpirantis mortuæ. Pannis illa pullis uittisq; obſita, tũ operta uelo faciem thalami ſui angulo humi periacet: Ibi ſomnum, ibi cibũ capit. Ei thalamo dies ac noctes una tantummodo & quidem ægre facula illucet. Non ſol admittitur, non aër: Ibi inuiſitur: ibi eam legationes conueniunt. Nemo autem illam adhuc, niſi planè flentem inuenit non exterorum, non ſuorum. Itaque mirum omnino eſt tandiu ei oculos ſuffeciſſe, aut unde illa tantũ lachrymarum

marum hauſerit. Parentalia ubi uenerunt, quibus quidem celebrandis ut adeſſent, omnibus ferè ab Italiæ principibus miſſæ legationes cõuenerant: atrati prope mille templa nouo cum Duce mane adimus. Buſtum ingẽs medio in templo mortui Ducis manibus erectum, luminibus circumfuſum innumerabilibus quaſi ardere ipſa cum æde uidebatur: Ante id à Sacerdotibus ſupplicatũ multis precibus eſt antiquo ritu ſacrorum: laudatio etiam à præceptore eius Odaxio luculenter dicta: cuius exemplum habebis cũ his literis. Hic tum Sadoletus, O præclaras literas inquit, quibus etiam laudatio ſit adiuncta. Itaque uideo nos non ea ſolummodo, quæ ad mortem Guidi Vbaldi pertinebant, quod unum maxime optabamus, ſed uitæ etiam ipſius prope hiſtoriam præter ſpem conſequuturos: Nõ enim uereor, ne Odaxius doctus quidem uir atq; eloquens, cum diſcipulum eſſet in funere laudaturus, quicquam omnino, quod egregium ſit, ſunt autẽ multa, ut ſæpe audiui, prætermiſerit. Recitari enim nobis, modo id te uolente fiat, iſtam quoq; laudationem uolumus Sigiſmunde, quam hic dicit: ſcio autem etiam Beroaldo id placere. Mihi uero perplacet, inquit Philippus. Nam quanquàm Bembus multa nobis de illo uiro narrare ſæpe ſolitus ſit, cupio tamen, quæ mandata literis ſunt, ea etiam cognoſcere, ab Odaxio præſertim cum erudito homine, tum, quod ipſe maximum puto, uniuerſæ eius ipſius, de quo agimus, uitæ quaſi ſocio, doctrinæ quidem certe in ſtudijs etiam magiſtro. Quamobrem iube illam puer tuus laudationem perlegat, ſi tibi incommodum non eſt. Tum Sigiſmundus,

ille uero Beroalde, inquit: quid enim mihi esse incommodum, quod uobis placeat, potest? sine autem prius, quod est reliquum Federici literarum, quod quidem iam paululum est, id exsoluat explicetq;, si uidetur, ne non æquo interea literæ interuallo lectionis intersecentur. Nam laudatio longiuscula quidem est. Quæ cum essent dicta: Philippus autem puero, ut explicationem literarum conficeret, annuisset: ille reliqua sic est persequutus. Postridie eius diei urbium, oppidorum, coloniarum municipiorum huius imperij omnium legati ante Ducem loco celebri cum conuenissent: pulcherrimum sanctissimumq; iusiurandum iurauerunt, cui me adesse tuo nomine, cuius auspitijs ea gerebantur, uoluerunt, tui se fratris filio scilicet nouo Duci semper fidem, semper studium præstaturos, semper in officio mansuros, eius se dignitatem, incolumitatem, fortunas omnis suis fortunis, suo periculo defensuros: eóque illum loco habituros, quo parentem eius habuissent: Quibus ille gratias breuibus humanissimisq; uerbis agens se daturum operam dixit, ut illos sui officij non pœniteret: id se spera re uel sua in ipsos beneuolentia & uoluntate, uel moribus ijs, quos de patre deq; patruo hauserat, facile consequuturum: salutis quidem illos suæ, otij, quietis, pacis, commodorum, ornamentorum curam in ipso ac procurationem certe nunquam desideraturos. Qua oratione mirum est, quantum is in illorum animos irrepserit. Itaq; illi Ducis dexteram more patrio deosculati bona cum spe læti hilaresq; discesserunt. Quam ob rem nihil est, quod te amplius eius rei cura cogitatióue commoueat

ueat, ne populi hi atque gentes propinqui tui neque ex Guido Vbaldo geniti & plane pueri imperium æquo libentiq; animo sint laturæ: plane enim iam ferunt: neq; illis quicquam est eo puero charius: quem quidem sic aspiciunt, ut nescio quid maius puero se intueri arbitrentur: sic amant, ut in filio superesse patrem existiment: sic ucrentur, ut Ducem sibi esse illum meminerint, atque cum Ducem, cui tu patruus sis, quiq; cum sua dignitate coniunctam habeat tui imperij tuiq; nominis amplitudinem & maiestatem. Hæc ferè sunt: quæ ad te scribenda mihi esse duxi, ut quæ acta hic essent, ne te lateret. Nos, quoniam quarum rerum causa me hic esse uoluisti, eas res puto me propemodum confecisse, cum afflictæ Duci melius esse per ægritudinem sensero, cui quidem consolationis omne genus adhibere non desistimus, ad te reuertemur. Vale. Pridie Nonas Maias apud Metaurenses. Recitatis à puero literis cum omnes pauliſper conticuissent, Habetis prope inquit Sigismundus Beroalde ac Sadolete, quod de me querebatis. Hæc enim ferè sunt, quæ de Guidi Vbaldi morte Federici literis ad nos perlata sunt, ut uidetis: quas quidem is literas uellem sciret perlectas uobis esse præbente me. Gauderet puto, quo est ille sensu beniuolētiæ atq; amoris erga suos, in hominum cum sibi charissimorum, tum certe sui amantissimorum sermonibus multum horæ se fuisse. Atq; utinam adesset hic ipse nunc, non tam quidem ut is nostris de se beniuolentissimis sermonibus intereſset, quã ut nos illius dulcissimis suauissimisq; frueremur. Vt enim de me loquar ipse, coniecturam autem ex me de uobis

bis facio: nullo cum homine profecto totos dies, quàm cũ illo libentius conficio. Nam cum est perhumanus, lenis, comis, blandus, salibus etiam & lepôre omni ac facetijs scatens: tum à grauitate atq; prudẽtia, & miro quodam uocis ac uerborum animiq; multo magis temperamento tranquillitateq; nunquam discedit: semper etiam è doctrinæ studijs aliquid affert: quo delectere. Itaque cæteris omnibus cum hominibus, etiam si mihi sunt charissimi, tamen est aliquando, cum esse certe non uelim: cum Federico autem nunquam tandiu sum, quin esse cupiam diutius: nunquam illius consuetudinis non dicam satietate ulla capior: sed etiã non teneor magna incredibiliq; auiditate. Quamobrem inuideo Metaurensibus: qui adhuc illum nobis remorantur: quanquam iam appropinquare eius aduẽtum existimo. Sed quid ais ô Beroalde, his eius de literis nunc, quoniam interpellari dum recitarentur noluisti: quid tandem sentis? uolo enim elicere iudicium tuum. Qua de causa inquit ille, istuc uis? utrum Sigismũde quia ipse iudicio careas, an quia ego maxime abũdem? Sane quidem utraque inquit. Nam & ipse carere iudicio hac in re facile possum, uel quia non abundo in aliqua, uel quod illum summopere amo: quàm sæpe autẽ male iudicent; qui amant, nemo non nouit: Et te si carere iudicio dixerim in causis literarum & doctrinæ iudicandis, carere dicam etiam Romanæ Academiæ homines necesse est, qui te tua Bononia Romam, ut publicæ rem literariam adiuuares, arcessiuerũt: quo quid esse indignius atq; absurdius potest? In amando illo autem si priores mihi partis assumo, uidcor id prope meo iure posse facere

propterea, quod cum usq; à puero amo. Itaque in hoc de illo iudicio minus te falli, quàm ego fallar, ueri simile quidem est. Dicendum est igitur tibi quid sentias. Tum Philippus. Ego uero inquit, postquam ita iubes, dicam. Sed uelim mihi antea pictorem dari: uerum non qui faciem, sed qui animos sua arte atq; mores hominum imitetur. Quid ita inquit ille? Quia uolo inquit mihi tabella exprimi eius ipsius mores, animiq; habitudinem, de quo quærimus. Quamobrem ille, aut quid tum postea inquit? Quoniam cum penicillo inquit expressos eius recte mores tibi ostendere Sigismunde potero, tum dicam, scriptorum eius epistolarumq; rationem atq; formam esse illis moribus quàm simillimam, easdem in eius uiri consuetudine animi, atque in literis stili scriptionisque suauitates inueniri. Quod si ille artifex etiam scriptorum qualitates exprimere suo artificio calleret: istamq;, de qua tu me rogas, expressisset: tum quasi de morum illius imagine sumptam imaginem scriptorum cerneres: ut mihi quidem uidetur. Sed ego falli facile possum, qui unius tantummodo ex eius scriptis omnibus recitationi epistolæ affuerim. Melius tibi ista Sadoletus: cui cum acre iudicium in scriptorum generibus omnibus est, tum in Federicea scripta reliqua incidisse certe non semel potest. Nam de Bembo puto te audiuisse sæpius, hac de re quid sentiret. Quanquam quid tu de ullo petas? qui ex me non ut scires aliquid, quod nescias, quid enim Sigismunde te fugit? sed ut uideres an ego perspicerem id, quod tu perspicis, propterea petijsti. Optas autem, idq; efficere uis, ut quantum ipse Federico tribuis

buis, ab alijs ei omnibus tantundem tribuatur: quod quidem certe cum Sadoleto atq; Bembo effectum iam pridem est. Tum Sadoletus, istud uero inquit Beroalde parum esse Sigismundo sane poterat, multum Federico nos tribuere, nisi eidem quoq; plurimum longe ampliores, quàm nos sumus homines, longe que fortunatiores tribuissent: uult enim hic, ut uideo, me sic etiam pro se respondere. Itaque quoniam Iulius. P. M. de illo uiro prope idem sentit, quod nos sentimus, cum illum sæpe ornat maximis dignitatibus, tũ fortunis auget, acturusq; in dies magis magisq; est: nisi me meus animus fallit. Atq; utinã omnes Põtifices Maximi Sigismunde in eam cogitationem incumberent, in quam tuus Pontifex semper incubuit, ut quos bonis moribus, quos uirtutibus plurimis, quos doctrina præditos & ornatos uiderent, opes ad illos, honores, dignitatesq; conferrent, illis munera, legationesq; traderent, illorum prudentiæ maximarum rerum summam demandarent, deniq; repositam in illis esse uellent omnem Romani nominis amplitudinem, omnẽ religionis iurisq; Pontificij cerimoniarumq; nostrarum maiestatem. Nulla mediusfidius non solum naufragia in Christiana rep. sed ne tempestates quidem certe aut plane fluctus ullos pertimeremus: prospero & tranquillo semper cursu, aut omnino tuto nauigaremus. Nunc, quoniam imperitis sæpe hominibus imperij gubernacula committuntur, quid mirum, si huc illuc iactati portum capere non possumus? Verum hæc ipsi uiderint, quorum res maxime agitur: quanquam quidem nostra quoq; interest, quibus uelum & clauum regentibus

tibus Petri Celox prouehatur: qui profecto si unquam Federici artificio committetur, non uereor, ne ij se homines beatos dicant esse, qui rectore illo utẽtur. Sed nos, si tibi uidetur, ad laudationem Odaxianam pergamus, quam quidem magnopere aueo audire. Pergamus inquit ille, arbitratu tuo. Cape igitur puer tu papyrum illam, quæ adiũcta literis est: explicaq;, & perlege. Nos autẽ, ut uidetur, nihil interpellare puerum oportebit, ne defuncti Ducis manibus uoluptatem, quam ex lectione ista fortasse capient, interpellemus. Itaq; attende Beroalde, num egregie Odaxius etiam sine pictore illo tuo animũ illius, mores, uirtutesq; expreßerit. Quæ cum ille dixisset, essetq; à reliquis silentium factum, puer sic est exorsus. Vtinam Proceres de Guido Vbaldo Vrbini Duce nuper uita functo uerba facturus, quantum mihi doloris illius intempestiua mors attulit, tantum ego eloquẽtiæ in eius funere celebrando afferre possem. Nam quoniã propter eius uiri cum innumerabiles incredibilesq; uirtutes, tum magna erga me merita nullum prope genus est mœroris atq; molestiæ cum ea, quàm ex hoc interitu atq; ex hac iactura capio, conferendum, si mihi parem quoq; in dicendo copiam animi acerbitati habere cõtigisset, nõ plus quidem uos facultatem nunc, quàm uolũtatem erga illum meam essetis desideraturi. Volo autem uehementerq; opto, ut qui in me uiuens omnia ornamenta contulit, in eius defuncti uita laudibusq; recẽsendis tantum præstare operæ ualeam, ut si minus idonei, saltem pij atq; omnino memores ad referẽdam gratiam habeamur. Sed cum ego neq; ingenio, quod mihi quidem minus etiam quàm

medio

mediocre est, neq; arte aut studio dicendi, quibus in rebus non multũ sane temporis impendi, neq; usu & exercitatione ualeam præter cæteros, dolor autem me unum præter cæteros cõficiat: non expectationi modo uestræ de mea facultate, si modo uestra aliqua est expectatio, propterea quoniam hunc in locum summa certe facultas afferri debuerat, sed huic ipsi etiam meæ erga illum uoluntati parum me facturum satis uereor interdũ Proceres & pertimesco. Impedior enim singultu, neq; uocem & uerba proferre ipsæ me lachrymæ sinunt, cũ ærumnas meas solitudinemq; considero. Amisi enim in eo uiro non solum parentem, ut Metaurenses: aut herum, ut familiares: aut imperatorem, ut milites: aut patronum, ut omnes boni: aut beniuolum atq; amicum, ut multi amiserunt: sed cum his omnibus eum etiam amisi: quem ego prope meo in gremio educaui, bonarũ artium studijs imbui: ille autem me non iam tanquam educatorem alumnus, aut tanquam magistrum discipulus, sed quasi filius patrẽ amauit, fouit, opibus auxit, dignitatibus honestauit: quiq; cum fuerit ineuntis ætatis meæ spes, confirmatæ ornamentum & columen, huius plane iam deuexæ certe requies atq; solatiũ fuit. Ad hæc accedit publici mali quasi facies quædã et forma plena mœstitiæ, plena acerbitatis: ciuium fletus, municipiorũ dolor, legationum cum subiectorum populorũ, tum Italicarum ac prope undiq; missarũ desiderij ac mœroris magna incredibilisq; attestatio atq; cõquestus: militũ præterea lãguor & destitutio, necessariorũ querimoniæ, tuusq; Frãcisce Maria fili luctus & ægritudo, cõiugis etiam miseræ desolatio, cuius mihi uideor

uideor squalorem, gemitus, singultus, uoces, lachrymas, in auribus & ante oculos habere: tum omnium ætatum omnium ordinũ atræ ac sordidatæ uestes, forũ mutum & obscurum, castra orbata, cœlo quasi undiq; tecta domus ædesq; regiæ, mœrens atq; prostrata urbs: templi denique huius aræ atq; parietes, quos quidẽ ille inuisere frequenter solebat, eius nunc intra se bustum cadaueris imaginemq; cõtuentes, cuius antea regiæ ac decoræ frontis maiestate atq; mansuetudine oculorumq; prope cœlestium splendore exhilarabantur, lugere mihi quidẽ uidentur uicem suam, ægreq; ferre, quòd non unà cõstrati æquatiq; solo conciderint. Ita neq; mecum ipse quicquã nisi acerbum cogitans, & extra nihil aspiciens, nisi miserum, nisi luctuosum, à dolore mẽtem, à fletu oculos abducere quî possim, nõ reperio: ne dum satis mihi cõparatam esse uideam Proc. de illo uiro, nunc quidẽ apud uos dicendi tractandiq; facultatem. Nam ubi animus mœret, oculi lugent, omnis sensus in molestia ægritudineq; uersatur, ratione ac memoria persequi rem magnã aliquam atq; arduam nemo sane multum potest. Arduũ autẽ & perdifficile est eius hominis laudes oratione complecti, qui omni genere laudis maxime floruit: & cuius unius uirtutibus pares omniũ hominum uirtutes nostra secula non habuerunt, ijs referendis omnibus idoneum unũ hominem existere, eundem autẽ maximis plurimisq; causis doloris perturbatum impeditumq; posse dicere, uix est ullo modo credendũ. Itaq; timeo Proc. ne id me muneris suscepisse in hoc tẽpore audacia uobis potius, quàm obsequiũ, temeritas, quàm pietas appellanda esse, cẽsendaq;

uideatur. Sed quid agerem? quò me uerterem? aut quam afferrem excusationem ijs, qui me ut hanc prouinciã susciperem, cum iubere iure suo possent, multis precibus rogauerunt? Ingenij ne mei cæterarumq; eius generis rerũ mediocritate me tegerem? At eiusdẽ ingenij fontibus irrigatum alumni mei ingenium aiebant incredibilem cũ doctrinam, tum certe eloquentiã hausisse. Dolore me meo impediri dicerem? At neminẽ esse affirmabant, qui nõ itidem angeretur, neminẽ, qui dolore non impediretur suo. Cõmoueri perturbariq; me aliorum lachrymis atq; hac ipsa rerum omniũ offensione cõtenderem? At quærebãt, quis posset hæc eadem aspicere sine animi sui perturbatione atq; molestia. Itaq; nihil adducere poterã, quod nõ ab ijs statim refelleretur, in meq; redundaret. Nam illud etiam addebant, eius hominis uitæ explicationẽ nulli iustius demãdari, quã ei, quo partim autore, partim socio, spectatore quidem certe omnis ea peracta uita esset, quæ de esset recensendum. Quod cũ mihi præter cæteros cõtigisset, non cõmittercm, ut qui illum uita fruentem omni studio, omnibus officijs semper essem psequutus, mortuo si deessem, id omne, quod antea egissem, fortunæ illius uiderer & felicitati, nõ meritis aut beneuolẽtiæ tribuisse. Quamobrẽ suscepi munus Proc. magnum profecto atq; arduum, more maiorũ hodierno die omnium, qui multis antehac seculis fuerũt, longe maximum atq; clarissimum uirum laudandi: idq; non obeundi fiducia, sed pudore recusandi suscepi, neq; tam perueniendi quò uocabar spe, quàm progrediendi quantũ possem uoluntate. Malo autẽ cum eorũ studijs, qui hoc à me cõtenderunt, obtemperare ucro

uero, suo ipsi de me iudicio detrahant, quàm si id nõ fecero, meæ erga se uel beneuolentiæ uel pietati. Itaq; rem aggrediar magni nominis magni exempli gloriæ, nouitatis, admirationisq; plenissimam. In quo ea me res cõsolatur, quod cũ multa prope incredibilia sim dicturus, uobis tamen esse dubium minime poterit me uerissima dicere: propterea, quod ea dicam, quæ ipsi cognouistis, uidistis, quibus interfuistis, quarumq; sane rerum quo maiora quæq; sunt, eo se nobis atq; omnibus hominibus notiora Proc. exploratioraq; præbuerunt. Itaq; nihil cõmemorabo, quod non idem multorum & uiuentium & præsentium memoria teste cõmendetur. Atq; uobis quidem esse gratissimum debebit, quæ sparsa, quæq; diuersis temporibus de homine præstantissimo deq; uestro Duce uel uidistis ipsi, uel audiuistis, ea collecta uno tempore cognoscere: quibus è rebus etiam quilibet abunde capere omniũ exempla uirtutum possit, uel ad aliorum comparationem atq; memoriam, uel ad usum sui. Sed prius quàm dicere incipio, te mi Alumne semper quidem mihi charissime, nunc autem etiam beatissime, te inquam rogo, quacunq; de cœli regione nos intuens tibi sacra fieri, tibi iusta celebrari uides, mihi nunc persancte adsis tantisper, dum de te apud hosce ago, magnamq; tuam illam eloquentiæ uim, quam tamen cum nobiscum esses, parce ac religiose exercebas, mihi aspires: ut id ego benedicẽdo tuo munere cõsequar, qd es ipse bene agendo beneq; sentiendo Deorum immortalium beneficio consequutus. Quod quò facilius fieri possit, si modo fieri ulla ratione potest, ad ea, quæ breuiter sum dicturus, quæso Proc. dili

genter attendite. Est in Apennini iugo his uicinus locis mons præcelsus: quo in summo prope æquata agri planicies fertile sane solũ, et aquas pennes habet, aërisq; miram & iucundã salubritatẽ. Totus autem undiq; ita circumcisus atq; direptus est, ut adiri uno aut altero ex loco singulis ab hominibus possit, aliunde pluribus ue nõ possit. Itaq; parua manu si defendatur, omnes omniũ imperatorum exercitus, tormenta, artes cum montem expugnare omnibus annis nõ queãt, Huic monti Feretrius nomen est, credo uti Ioui quondam nomẽ Feretrio fuit, quoniam pacem hominibus afferebat, ita hunc montem primo fuisse appellatum propterea, quod imperatores electißimos tulit, à quibus postea pax atq; pacis ornamenta maxima hisce urbibus regionibusq; contigerunt. Nam illa hinc familia oriunda est Feretria peruetus, ex qua innumeri principes extiterũt: qui cũ omni laude maxime celebres, tum bello clarißimi uniuersam Italiã rerũ à se gestarũ gloria monumentisq; referserunt. Horum omnes annales, omnes historiæ nomina cõtinẽt, facinora, uirtutes, gesta bello ac pace imperia, partas manu uictorias, atq; triumphos memoriæ posteritatis tradũt: ut qui uelit, facile possit inspicere quot quãtisq; imperatoribus tercentum iam annos amplius gens Feretria florucrit. Hisce maioribus ortus Guidus Vbaldus Dux, auum habuit Guidum Antonium Feretrium, Vrbini Ducẽ, celebris gloriæ, multiq; nominis uirum. Nam neq; bello ferè quisquàm maior apud Italos homines ea tempestate illo fuit, qua tamen multi clari atq; illustres militaribus disciplinis uiri, multi magni imperatores extiterunt: neque domi

domi quenquam ullæ gentes principem æque atq; hunc sui ciues populiq; coluerunt: quod tamen illi etiam apud Martinum. V. Pontificẽ maximum ualuit plurimum, hominem, cum in sacerdotio uniuerso, cui præerat, tum in regenda rep. diligentißimum, & prope ad subleuãdam Romani nominis iacentem iam prostratamq; dignitatem natum: cui quidem summopere charus fuit. Viri enim ille mores uirtutesq; cum adamauißet, nihil non ei tribuit. Nam quod summum esse imperium in Pontificis maximi regno tum potestateq; censebatur, eo illum magna Italiæ magna bonorum omniũ gratulatione donauit, Ducemq; Spoleti creauit. Est autem ea prouincia percelebris, agros fertiles, & amœnos tractus habẽs, oppidaq; plurima, populisq; refertißima. Itaq; apud suos charus, apud Romanos homines magnus, apud omnes certe summa beneuolentia, summo cultu, summis honoribus semper fuit. Verum hũc tantum ac tam præclarum hominem aliquantò minus magnũ filij maxima atq; perfecta uirtus facit. Ita qui aliorum comparatione omnium excellere facile poterat, eum genuit, qui cum omnibus reliquis hominibus, tum patre etiam longe maior atq; illustrior fuit. Quæ tamen illi res certe bis uoluptati fuit. Nam & uinci à filio iucundißimum est, quasi quis à se ipse uincatur, seq; superet: & filium genuisse multo se præstantiorem, maxime optandum. Viuit enim in filio pater. Itaq; maiorem se in illo cum intuetur, gaudet, filijq; nomẽ atq; gloriam suam ipsius atq; propriam ducit. Sed magna me hæsitatio Proc. tenet. Valde enim mihi difficilis atq; lubrica dicendi ratio proponitur. Nam si meritis Federicum Du-

cem laudibus huius, de quo dixi filium, eius autẽ de quo dicturus sum patrem prosequi ornareq; uoluero propterea, ne uos qualem is parentẽ habuerit nesciatis, nihil hodie aliud agam, nihil plane cogitem necesse est: illud etiam mehercule, ne me dies prius quàm rerum sylua seriesq; dicendarum deserat, est uerendum: Sin tacuero, Guidum Vbaldum à nobis magno ueroq; genere laudis iri defraudatum uideo. Quid enim omnino laudabilius, quàm patrem habuisse amplissimum uirum, omniumq; hominum memoria celebrationeq; clarissimum? Nam quemadmodum in equis dignitatem soboli afferunt parentum animi, aut firma latera, aut pernicitas, aut pulchritudo, in arboribus autem eæ plerunque laudantur, quæ optimis ex seminibus coaluerunt? Ita etiam in hominibus, claris esse parentibus genitum semper pulcherrimum atq; honestissimum fuit. Quamobrem si filium quibus ex rebus par est, laudabo, de patre hodie, non de filio dixero. Sin uero patre præterito hodie de filio dicam tamen, profecto cum, quem maxime laudandum suscepi, multo sane minus quàm possum quamq; debeo, collaudauero. Ita uel huic meæ laudationi id, quod est potissimum atque maximum, detrahendum est, uel ipsa in alium diem reijcienda. In altero ne minus quàm oportet, uel diligens uel fortasse gratus, in altero ne etiam intempestiuus morosusq; uidear, effugere cauereq; non possum. Veruntamen ut in re ambigua atque peranguſta confugiam ad illud, propterea quod is non multis ante nos annis fuit, eius uitæ scilicet rerumq; gestarum memoriam adhuc uigere, adhuc in mentibus hominum eius prudentiam

prudentiam, iustitiam, temperantiam, sanctitatem, animi magnitudinem liberalitatemq; uersari. Illud etiam certò scio, adesse hoc in cœtu multos, qui illum nouerint, uiderint, aliquos, qui eo imperatore merucrint, manũ cum hostibus cõseruerint, uictorijs interfuerint, quas ille plures est consequutus, quàm alij imperatores non sperare modo audeant, sed plane etiam optare. Itaq; nemo ferè ignorat illum omnibus ab Italicis regibus maximis propositis præmijs uocatũ maxima imperia gessisse, parua manu ingentes hostium copias sæpe fudisse, uicisse semper, uictum nunquam fuisse, quæ capi expugnariq; nulla ui nullis artibus poterant, oppida expugnauisse, munitissima omnia ei cessisse, conclusa patuisse, situ aspera non restitisse. Illud autem plane scimus omnes, eũ regni sui fines sæpius lateq; promouisse, regnum ipsum urbibus, urbes arcibus munitissimis auxisse, ædibus, templis cõdecorauisse, sibi suisq; domum illam ipsam hac in urbe, quam incolimus, ea materia, ea arte sumptuq; cõstruxisse, ut tametsi ea situ ad ædificandum iniquissimo difficillimoq; sit, æque pulchra tamen ullo in loco toto orbe terrarum non uisatur. Iam bibliotheca illa celebri, quam is maximis sumptibus comparauit, cum Latinorum, tum Græcorum, tum Ethruscorum, tum etiam Hebræorum lingua perscriptis in omni disciplinarum genere libris monumentisq; refertissima, omnes, qui uolumus, utimur. Quæ cum ita sint, aliaq; his similia, uel etiam maiora, latissime enim eius uiri bonarum artium, studiorum, morum, uirtutum, dictorum, factorum hic quasi campus patet, minus moleste fero me temporis angustia reiectum

atq; repulsum is de rebus nõ posse dicere, quas uel omnes, uel magna ex parte uos quidẽ Proc. memoria cogitationeq; retinetis. Tali itaq; patre genitus noster Dux, qualem uos aut uidistis, aut certe cognouistis, mihi quidẽ explicare otium non est, orbis autem ipse terrarum pro me & loquitur de illo nunc, & semper loquetur: Matrẽ habuit Baptistam Sfortiam, Alexandri Sfortiæ maximi clarissimiq; uiri filiam, ac Francisci Sfortiæ illius fratris, in quo illa ætas habuit, quem cõferre cum omnibus omnium ætatum eximijs imperatoribus propemodum auderet. Ipsa uero Baptista eo ingenio, ijs moribus, ijs etiam bonis artibus, ea uitæ continentia atq; prudentia fuit, ut non plus illi pater aut familia, qua nulla quidem Italicarum aut maior aut splendidior est habita, quàm certe illa utriq; ornamenti atq; gloriæ addiderit. Atque uereor, ne qui interdum existimaturi sint, si quæ de illa possum, omnia dixero, ea me inuenire atq; fingere: ita de fœminis non sæpe dicuntur, perraro etiam creduntur de uiris. Tum immorari diutius nolo in eius fœminæ uirtutibus ex occursu sermonis repetẽdis, quam pro dignitate laudare uix propria atq; longa oratione quẽquam posse satis commode existimo. Itaq;, ut breuissime Proc. dicam, quemadmodũ omnes eæ uirtutes, quæ quidẽ inueniri tum omnibus in hominibus potuissent, in eius uiro collectæ collocataeq; cõspiciebantur, sic mehercule quicquid ea tẽpestate bonarum artium, optimorũ elegantissimorumq; studiorum, atque morum cunctis in mulieribus fuit, id sane omne in hanc unam natura quasi conflauerat, atq; profuderat. Quamobrem si quis Deus Guido Vbaldo,

dum

dum uiueret, omnes homines ante oculos posuisset, eiq; pollicitus fuisset, quos sibi is omni ex illo numero delegisset, eos illi parentes futuros, quem alium patrem potius, quàm Federicũ Feretrium, aut quam potius matrem aliã, quàm Baptistam Sfortiam sibi sumeret, is medius fidius non habuisset: Sed qui sibi lege naturæ contigerunt, eos etiam optione proposita retinuisset. Sed iam ad ipsum, de quo agimus, ueniamus, De quo quidẽ Proc. etiam si nihil aliud audiretis, existimare tamen deberetis mirum atque diuinum hominem ipsum fuisse, ad quem quidem procreandum longe præstantissimus omnium uirorum uir, longe lectissima omnium fœminarum fœmina, quasi Deorum immortalium uoluntate conuenissent, eiq; parentes extitissent. Non enim temere neque fortuito tam præclaram, tam insolitam, tam nunquam antea prope auditam uiri uxorisq; societatẽ initam coalitamq; est credendum. Adeste tamen Proconss. atque animum & mentem adhibete, ut uideatis hæc parentum tam admirabilis præparatio quo tetenderit. Cum de Baptista uxore, Federicus Dux octo filias, marem nullum suscepisset, seq; iam uirilem stirpem tantis opibus quæ succederet, relicturum ingraueſcens annis homo desperauisset, mulier anxia, qd' sæpe antea fecerat, ad preces conuertitur: uota præterea Dijs immortalibus facit lachrymãs, filium marem si dent se libenter uita cessuram, modo uir sui similem ex sese aspicere semel posit, populisq; relinquere, ne bono cum regno stirps tam egregia intereat. Hæc ubi est precata, somnus eam occupat. Tum per quietem in altissimæ arboris culmine, ipsa sibi uidetur auem Phœnicem parere

mirae pulchritudinis: quae sex atq; triginta totos dies ei arbori cum incubuisset, cœlum uolatu peteret, tactoq; solis globo alis flamma combureretur, neq; amplius apparet. Hæc illa uiro cum enuntiauisset, fit prægnans: parit tempore puerum pulcherrimi suauissimiq; oris: ipsa paucis post mensibus moritur: puero Guidi Vbaldi nomen impositum, gentile scilicet atque auitum est. Eo nato nihil patre Federico lætius, nihil hilarius fuit. Itaque enutriri puerum summa diligentia iubet: omnem tamen educatorum diligẽtiam mira infantis natura ingenioliq; uis anteuerterunt. Nam linguam quidem flectere, proferre uoculas, uerbis uerba nectere antea didicit, quàm ab alijs, propè dixerim, sumi cibus aut potus ediscatur. Prima uero literarum rudimenta ea ætatula hausit: qua uix cæteri solent loqui. Nemo porrò totidem annorũ nõ ab illo puer omnibus in rebus præteritus est, nemo non longissime relictus. Itaq; puerilibus illis in studijs iam nõ pueriliter sese gerere, speiq; multo plus alere, quàm illa ætas daret, uidebatur. Indole autem atq; facie ea fuit, ut iurares illos Veneris pueros Amores, quos poëtæ aiũt matri præsto esse atq; alludere, aliam oris formam, genarum, oculorũ, non habere. Hæc cum ita se haberent, ego Patauio uocor: à patre mihi puer bonis moribus, bonis artibus erudiendus informandusq; traditur: mihi eius cura omnis alendi instituendiq; mandatur. Quæ sanè res me quidem primo uehementer cõmouit. Intelligebã enim pueros regios qui institueret, ei quasi Hydram Herculeã domandam susciperet, sic esse elaborandum: Ita hercle uel propterea, quoniam inter omnes rerũ delicias alerentur, uel quia

uel quia non omnino, uti cæteri, tuto libereq; increparẽtur, interdũ etiam propter assentatorum turbas, quibus abundarent, emergerẽt ex illis undiq; uitia, insurgerẽtq; multo sæpius, quàm uirtutes, quæ non tam quidem resecarentur facile, quàm etiam multipliciter pullularẽt. Verum docere cum incipio, nihil corũ, quæ in alijs esse pueris assolent, uideo in nostro, non deliciarum ullas illecebras, non pronos ad licentiam mores, non adiutam impunitate audaciam, non deniq; arrogantis fortunæ ullũ in pueri animo impreßum uestigium inspicio, non etiã molestiam satietatemq; discendi, aut commorandi cum se natu maioribus tædium: nihil sanè horũ Proc. in illo fuit: grata potius expetendaq; omnia: Tum me colere, mihi credere, ad me respicere, me imitari: nunquã se à studijs literarum abducere, nisi iußus, nisi aliorum studiorum gratia uel equitandi, uel armis ludendi: æquales non despicere: malle autem eorum consuetudinem, à quibus discere aliquid semper posset: nulliusq; rei æque magnã curam habere, quam ne quis dies elaberetur, quo se die nihil addidicisse, nihilo præstantiorẽ factũ posset recordari. Sed uoluntatis hæc: illa uero ingenij, mira quidẽ cum alacritas, tum celeritas in percipiendo, in retinendo nullus labor, labor autem? imò admirabilis quædam incredibilisq; naturæ uis atque præstantia. Itaque illud uere poßum dicere Proc. nullam ei præceptionem meam difficilem ad percipiendum uisam, ne longam quidem unquã ad ediscendum, breuiorem autem quàm uellet, quamq; ipse posse assequi se confideret, sæpißime: qua de re etiã mecum conquerebatur. Itaque difficilius mihi ueniebat in

mentem

mentem quid ego illũ docerem, quàm quid ille discceret, statuere: sæpiusq; quantum deceret ei me ad discendum proponere, quàm ipse quantum aggredi aut uellet aut posset, quærebam. Quamobrẽ multa ei nos dum propo nimus, ille omnia consequitur: eô res uenit, ut is non plu rium propè mensium spatio, quàm alij annorum, ita lati nas literas puer calleret, ut patrias cæteri linguas atq; suas, ita Græcas, ut nostrorum hominũ doctißimi iuue nes Latinas planè atq; Romanas solent. Neque sanè ille Græcorum tantũ literas perceperat, usuramq; ipsam le gendi atq; intelligendi: sed ipsas etiam uocum inflexio nes, intentiones, remißiones, posituras multum à nostris alienas atq; uarias, teneritudinem deniq; illam Atticam, & linguæ illorum quoddam quasi lenocinium didice rat, hauserat, expresserat, æque atq; ipsi utebatur. Itaq; illi ego non magister iam studiorum, sed adiutor, nõ do ctor, sed socius, non interpres, sed testis aderam, uel ut uerius dicam, admirator. Quæ perspiciens mecumq; re putans, timui fateor sæpißime Proc. id, quod dicitur, præ cocia ingenia celeriter emori, ne præsaga pueri mens at que præscia diu se nobiscum non futurum, illos tanquam flores effunderet: quos, si sibi esset uiuendum, reseruare in aliud tempus debuisset. Itaq; angebar animo, atque is mihi ne eriperetur, singulis horis tacitus pertimescebã: maluissemq; illum minus ingenij aliquanto ad ea studia minus etiam afferre alacritatis, ut plus uitæ alere polli ceriq;, quàm quod ipse arbitrabar, uideretur. Quod qui dem ijs quoq; accidere solebat, quibus ille magistris ad rei militaris capessendas rationes utebatur. Nam equi tare,

tare, hastam, galeam, scutum, loricam gestare, uibrare ensem, modo peditem, modo equitẽ agere, modo Italos, modo Parthos imitari, ita breui tempore didicerat, ut illi ipsi, quibus se is ad discendum tradiderat, cum quidẽ ni hil aliud in uita egissent, tamen dicerent non habere iam se, quod eum ulterius docerent. Neq; ille hæc tantummo do leuia, bene ut armis, optime ut equis uteretur, sed etiã grauioris sæpe pugnæ speciem cum æqualibus sibi pue ris cumq; suis militibus exercuit. Nam & cataphracto equiti cõcurrebat, & magnis itineribus aliquò in armis, quasi bellum gereret, contendebat. In tentorijs autẽ uel etiam sub dio pernoctare, uim frigorũ atq; hyemis perpe ti, castris locum capere, eadem uallo cingere, è quibus modo hostes propulsaret, modo quæ ipse adoriretur, exercitum instruere, singula deniq; imperatoris officia obire ipse quoquo modo poterat, puer quidem atque te ner uoluit, quasi turpe esset imperatoris filium, qua cunq; ætate esset, non eße imperatorem. Itaq; Proc. duas illas maximas præstantißimasq; artes rei militaris atque literarum noster Dux, quàm in ipsis propè cunis, quasi binas nutrices adamarit, complexus sit, tenuerit, iam ui detis. Ego enim sic existimo, cum dignitatem, tum utilita tem, quantæ eße maximæ nullis alijs ex rebus poßunt, duabus his artibus disciplinisq; contineri. Nam in altera pacis & quietis fundamenta insunt omnia, in altera orna menta. Illa ut regno, ut patria, ut laribus, ut liberis, ut amicis, ut deniq; rebus cæteris omnibus, quibus oblecta mur & iuuamur, nobis perfrui liceat, perficitur: hac ut ijs bene & cũ dignitate perfruamur, comparatur. Nam

armis

armis quidē uim repellere, ulciſci iniurias, inimicos profligare, ſocios amicosq; defendere, tueri fines, propagare imperiū ſanè poßumus: quibus ex rebus quàm magnæ ſæpe utilitates, quanta gloriæ monumenta pariantur, quis eſt, qui non ſentiat? Literarum autem præſidio leges condimus, iura conſcribimus, morum præcepta tradimus, oratorem componimus, qui ciuium animos impellat, quo lubet, reuocet, unde uult, humanarum diuinarumq; rerum ſcientiam acquirimus: quæ homines multis ante nos ſeculis nati ſenſerint, geſſerint, quo modo uixerint, ſcimus: noſtras uero aut noſtrorum res præclare geſtas obliuioni eripimus, poſteris cognoſcendas celebrandasq; mandamus: quibus quidem officiorum generibus quid profecto uel prodeſſe magis hominum uitæ, uel plus afferre ſplendoris poteſt? Hæc ille igitur non tam quidem meis aut aliorum monitis, quàm per ſe, uel potius diuinitus ſentiens, ita hiſce artibus ſeſe puerū tradidit, quemadmodum audiuiſtis, ita uero adoleſcentē atq; iuuenem, ut mox audietis: dicerem uirum, nam eam ætatem etiam attigit: ſed eius aut nullos fructus, aut omnino tenues medicosq; percepit, fatorum credo iniuria, ſi fas dicere, ne fœcundam nos atque propriam eam noſtram felicitatem haberemus. De re igitur militari prius: Cuius illud mihi imprimis occurrit mirum, quod tamen ei planè puero contigit. Nam cum decem eſſet annos natus eo tempore, quo eſt pater eius Federicus Dux mortuus, eam de ſe iam tum ſpem excitauerat, ita hominum animos ſui expectatione impleuerat, ut ij quorum erat tum pater maximorum exercituū imperator, Neapolita

politanorum Rex, Mediolanenſium Dux, Florentinorumq; Reſp. eoſdem illos tam amplos exercitus, tam magna imperia, tam innumeras copias ei puero tuendas regendasq; tranſmitterent: rerum ſuarum ſummam ei uirtuti, quam inſpicere ipſam nondum poterant, edorē naſcentis & quandam quaſi fragrantiam ſe percepiſſe opinabantur, fidei, conſtantiæq; cōmitterent. Itaq; ille imperator antea, quàm miles, ueteranus, quàm tirunculus, uir propemodum, quàm adoleſcens fuit. Nam qua ætate alij plerunq; regum pueri nucibus ludere uel ploſtellis ſolent, noſter pilum aut iaculum proijciebat: qua fabellas illi de nutricibus audiunt, hic de caſtris tubarum ſonitum, armorum ſtrepitum, equorum hominumq; concurſum hauriebat: qua illi educatores obſeruant ſuos, huius os atque frontem cohortes legionesq; reſpiciebant, iuſſis nutuiq; præſtolabantur. Quamobrem ijs initijs ſic adoleuit, ut nullam profecto militaris diſciplinæ partem non diligenter obierit, nulla in bellica ratione atque munere non diu ac multum exercitatus occalluerit magna cum laude atq; gloria. Itaq; adoleſcens Innocentio octauo Pont. Max. primo quidem contra Ferdinandi Neapolitanorum regis audaciam incredibili adiumento atq; præſidio fuit: poſtea uero innumeras Piceni urbes excitatis factionum atq; adiutis Ducibus nouas res molientes coërcuit, magno bello magnis ſeditionibus implicitas pacauit, deſciſcentes alioq; uerſas reſtituit. Innocentio deinde mortuo Florentinorum exercitibus uix dum iuuenis cum præeſſet opulentiſſimam bellicoſiſſimamq; urbem Piſas, & cum rebus omnibus ad repellendos hoſtium

stium impetus, tum animo atq; irarum seminibus instru-
ctissimam obsidione ita presit, ut Deorum uoluntate po
tius, quàm ullo ipsorũ consilio aut uirtute imminenti ere
pta exitio calamitateq; uideretur. Maurucinorum idem
mox plura oppida, Marsorum, Præcutinorum, Vestino
rum, à fide regia quæ defecerant, recuperauit, regibusq;
reddidit, cum illum ipsi, atque Alexander Pont. Max.
quo cũ ij fœdus percusserant, suis ductandis copijs præ-
fecissent. Nam quæ cum Venetis deinceps gessit, quan-
tum pro illa rep. periculi adijt, quantum laboris, nec ex-
plicari una oratione potest, nec uno die. Quibus quidẽ
in bellis omnibus & imperatorẽ ita gessit, ut sibi nec in
eligendo consilium, nec in imperando prudentia, nec in
obeundo alacritas, nec in exercendo labor, nec in consi-
ciendo industria contentioq; deesset. Magno in angustis
rebus animo, incredibili temperantia in secundis, summa
in utrisq; constantia liberalitateq; utebatur. Et uero mi-
litem, cum opus esset, sic præstitit, sic omnino expers
timoris fuit, ut in eo certe bello, quod cum Alexandro
Pont. Max. contra alteram Romanorum factionem ges-
sit, ijs, qui cum illo essent, aliquando cedentibus solus cũ
centenis hostibus dimicauerit, potius, quàm cõmitteret,
ut se quispiam terga unquã uertentem uideret. In Flami
niæ autem finibus, Ferdinando minori, qui rex postea
Neapolitanorum fuit, contra Caroli Gallorum regis ca
stra cum adesset, & tormentorum, quibus quidem exer
cendis ea plurimum natio ualet, pilæ ferreæ ex uallo ho
stium creberrimæ infensissimæq; torquerẽtur, reliqui se
præfecti militesq; cum retraxissent, ij uero, qui circum
ipsum

ipsum erant, stipatores eius corporis passim caderent, ho
stes autem urgerent, neq; esset dubium, ipse etiam si ces-
sisset, uniuersum suorum exercitum terga daturum, o-
mniaq; iri perditum unius ipsius conuersione uiderentur,
ipse de loco se nunquam mouit. Itaque uel occisis reliquis,
uel cedentibus, solus imperterrito animo restitit, solus in-
ter multa hominũ milia repertus sane est, cui mori esset,
quàm timere facilius. Prætereo hoc loco prudens sciensq;
Proc. multa: Nec enim uel expeditiones eius singulas, uel
bellorũ omnia genera recenseo, nedum eius præclare res
gestas, egregiaq; facinora cuncta cõmemorem: quæ cum
innumera quidem sunt, tum sunt omnia intra primum iu-
uentutis limen sanè confecta. Quo tempore, quemadmo-
dum de Achille ait Homerus, quem omnium Græcorum
pulcherrimum atque formosissimum dixit esse, cum sic
etiam Duce nostro nemo ferè Italorum pulchrior, nemo
speciosior haberetur, omnes eæ actiones, omnia munera
quæ obibat, dulci frontis ac decoro aspectu & formæ tan
quam luminibus illustrabantur, reddebanturq; cõspectio-
ra. Itaq; cum erant illa ipsa per sese magna atque grata,
quæ tractaret: tum quia ijs candor atque hilaritas oculo-
rum, uultusq; forma ac species totiusq; corporis mira
quædam dignitas maiestasq; accedebat, Dij boni quam
ille mihi unus ex uestro cœtu potius, quàm ex nostrorum
turba regum quispiam atque principum sæpe est uisus,
sæpe dignus, qui à uobis cũ totius orbis terræ imperio,
tum certe immortalitate donaretur. Itaque illi ipsi, quos
contra ferebatur, quibusq; succensebat, irasci tamen ei
minime poterant, minime in illum duri quicquam infen-

siue cogitare, non mehercule magis, quã in ipsos Deos: à quibus quidem tametsi acerbi aliquid accidisse interdum nobis existimamus, nemo tamen ita efferatus est atque impius, ut irasci aut ulcisci se de illis uelle in animum inducat suum, saltem cum cœlum syderaq; suspicimus. Eodem propè modo simul atque nostri Ducis faciem quis oculosq; respiciebat, nihil in illum queri poterat: omnes ei ex animo uno intuitu iræ atque offensæ excidebant. Quod si contingebat ijs, quibus ille se iratum ostendebat, quibus minabatur, quo in illum tandem animo eos fuisse credimus, quos amabat, quos honorifice appellabat, quos laudabat, quibus agebat gratias, quibus se debere fatebatur? Itaq; ut paucis explicem atq; amplectar, quod sentio, cum scientiam rei militaris, tum uirtutem, tum auctoritatem, quantæ quidem in uiro esse, uel in sene etiam uix solent, demum si nouo mihi uerbo uti apud uos licet, etiam amabilitatem, nam ea quoque res plurimum ualet, iuuenis, uel potius adolescens noster Dux habuit, felicitatem non habuit, eo præsertim tempore, quo esse illi maximo usui potuit, maximeq; ea opus fuit. Sed libet mihi uobiscum nostram sortem Proc. lamentari: libet de humanis conditionibus deq; naturæ legibus conqueri duris illis quidem sæpe, ut sunt, ad ferendum, ut uidentur, etiam iniustissimis. Nam illa ipsa nostri Ducis tam grata, tam liberalis, tam excellens, tam eximia pulchritudo, illa ad bellica munera obeunda indefessa nauitas atque uis, quæ uirtutibus reliquis suffragatur, estq; earum adiutrix omnium & tanquam administra, non multum sanè diu unà cum illo fuerunt, non diu illi fœdere inito seruatoq;

toq; astiterunt: ut se ostendere tantummodo uoluisse uiderentur, permanere noluisse: quo magis postea nos illo etiam uno earum desiderio conficeremur. Laborare enim pedum doloribus uno ille atque uigesimo ætatis anno sanè cœpit: qui quidem morbus cum ætate atque tempore uires & tanquam animos assumpsisset, ita demum inualuit: ut in illo neque oris & uultus species proceritasq; membrorum, neque strenuitas illa corporis pristina multum agnosceretur, cruciatu & macie maiestas illa eximia formæ, agilitas, uiresq; membrorum captæ atque confectæ tabescerent, ipse, cum bene sibi esset, gestaretur, cæterum in lecto iaceret. O inanes cogitationes nostras & spes: o studia curasq; hominum tenues atque miseras, o fallacia bona, citoq; pereuntia, & laborum nostrorum flores ante, quàm fructus pariant, exarescentes & caducos: Quid illo homine ad omnes bellorum rationes maius, quid unquam præclarius, quid admirabilius extitisset, si aduersa illi ualitudo maximas eas excellenteisq; dotes, & Deorum immortalium dona egregia non inuidisset? si is ad senectutem usque integer, quod innumeris imperatoribus contigit, peruenisset? Qui adolescens, qui puer tot imperia gesserit tot bella confecerit, ut multorum imperatorum omnes ætates æquauerit, superauerit: qualem illum tandem uirum, qualem senem præstaturum se fuisse credi par est, eos annos si illæsus confecisset, si ad admirandum illud atque diuinum ingenium, animi magnitudinem, fortitudinem, multarum quoq; rerum inoffensa experientia multos annos uberes solidosque conquisita, consiliorumque maturitas cana

atque grauis acceßisset? Sed mihi quidem cogitanti ita esse in humanis rebus à natura comparatum uideri solet, ut quæ mediocria sunt, ea ad excellentem statum atque formam sæpe sine offensione perueniant: quæ uero iam excellentia sunt ipsa per se atq; eximia, ijs ulterius progredi ut absolutißima sint, minime omnium liceat. Quamobrem egregiæ res magnæ præclaræ uisuntur quidē permultæ multis in locis atque urbibus: perfectæ uero ex omni parte atque summæ, & quibus nihil addi posse uideatur, propè nullæ. Itaq; aiunt Scipionis illius Aphricani maioris filium, cum quidem ad patris militarem disciplinam animiq; magnitudinem doctrinæ etiam studia literarumq; multarum uberiorem elegantiam adiunxisset, essetq; spes illum patre præstantiorem amplioremq; futurum, corporis imbecillitate adolescentem admodum impeditū rem militarem postea exercere non potuisse. Qui quidē in eo longe minor nostro profecto Duce fuit, quod is manum fortunæ inijciens, qua se in re nauanda corporis imbecillitas impediebat, solertia eam industriaq; consequebatur. Bellis enim intererat uel laborans. Itaque sedere in equo cum non poterat, sella uel lectica utebatur. Nunquam illi morbus mentem, nunquam rerum gestarum memoriam, qua supra omnes homines mira atq; tenacißima est usus, nunquam rei militaris scientiam, nunquam autoritatem ita abstulit, quin etiam captus pedibus maximis cum imperijs semper esset. Itaque Iulius secundus Pont. Max. homo cum omnium rerum scientia, tum cognoscendis perpendendisq; hominibus planè mirus, cū primum rerum imperio est potitus, suis eum copijs exercitibusq;

citibusq; præfecit, omnibus eo in bellis uel ipso, uel per uicarium est usus, quoad is illum atque nos moriens tristes mœrentesq; reliquit. Sed quoniam de re militari diximus, de doctrinæ eius studijs rationibusq; deinceps dicemus. Qua in re propterea quod nos adiutores illi fuimus, uereor Proc. ne aliquibus ea, quæ dicentur, maiora interdum à nobis multo longeq; præstabiliora, re quàm sint, uerbis fieri orationeq; uideantur: ita sum magna incredibiliaq; prope dicturus. Verum ego illos ipsos alumni mei manes optimos atque sanctißimos testor, quos quidem hic adesse atque attendere quæ dicūtur existimo, nihilme ficturum esse, nihil ueris additurum, nihil uerborum fuco comptum, sed frontem uobis ipsam rerum nudam indepictamq; ostensurum. Duæ sunt igitur, ut mihi quidem uideri solet, in studijs literarum disciplinæ regibus imperatoribusq; præter alias expetendæ. Oratoria siue ars, siue facultas, historiarumq; cognitio. Nam & eloquentia cum in populo, tum in castris maximas olim sæpe res difficillimasq; confecit, & in posterum conficiet, & rerum ab alijs gestarum exemplis abundare, quibus in tuis rebus uti possis, & bello & pace profuit certe proderitq; semper plurimum. Harum utranque disciplinarum noster dux miro studio ab ineunte ætate est complexus, earumq; legendis cum Latinis, tum Græcis autoribus sese dedit magna inexpletaq; diligentia. Annis autem accedentibus ita in utrisq; profecit, ita se penitus in eorum penetralia immisit, ut quo ulterius posset progredi, iam prope nihil haberet. Nam eloquentiam est adeptus non illam quidem, qua in foro utimur, acrem,

acerbam, iracundam, contentionis, ardoris, inimicitiarum, laterum, laborum plenam: Sed illam pacatam, sedatam, grauem, hilarem etiam interdum, & cum dulcem, tum respersam salibus, uerecundam tamen sæpius & uenustam, simplicem semper, non mimo, non cincinnis comptam, mundam uero, & ipsa quasi negligentia gratiorem, quamq; uere regiam atque imperatoriam possis dicere. Itaque sibi cum laudandus esset quis uel bonus ciuis, uel strenuus miles, uel alius aliquis quoquomodo, ita eum laudabat, ut cum ipse multa cum gratiæ tum beniuolentiæ causa diceret, orationi tamen neq; fides, neque grauitas unquam deesset: tantumq; cæteri laudato tribuendum esse ducerent, quantum ei laudator ipse tribuisset: ille autem, qui laudaretur, non omnibus ab hominibus mallet, quàm ab uno illo sese laudari. In uituperando autem natura parcus, uoluntate abstinens, facultate magnus atque instructus cum esset, ad eam dicendi rationem ita raro accedebat, ut scires inuitum accedere, cum accederet, ita illam ferè semper placide comiterq; exercebat, ut appareret non omnes cũ suas uires explicare uoluisse. Verum omnino magnis Ducibus non ita sæpe euenit, ut laudent, minus sæpe, ut uituperent quempiam: atque utrumlibet cum agunt, parce id grauissimisq; uerbis agunt, ne uideantur magis quàm deceat in altero amore & beneuolentia, in altero odio & simultatibus duci. Accusatio autem atque defensio nunquam in illis ferè cadunt, quippe quibus nulli iudices accedendi, nulli demulcendi sunt: suus illis animus iudex est: is audit: is decernit: eo absoluimur: eo condemnamur. Suo autem quisque animo

animo tacens loquitur, silens persuadet. Itaque nihil iudiciali oratoriæ artis generi cum regibus. Propria eorum autem atque peculiaris est deliberatio propterea, quod ad eos omnia omnes deferunt, ciues prouinciales, municipia, milites, clientes, socij, uicini. Habent autem consultores ipsi suos, qui assistunt, quibuscum agendum ne sit aliquid, aut non agendum, disserunt. Tum cum alijs sæpe regibus, sæpe cum legationibus multa quærunt, multa disputant: quilibet alios adducere in sententiam conatur suam. Ibi ars, ibi ingenium ualet. Hoc in genere Proc. omni si quis unquam magnus atque summus fuit, si quis ea, quæ ipse cogitaret, sentiret, quæ optaret, quæ timeret, in aliorum mentes atque animos ita transtulit, ut impressa non tradita, innata non insita, propria non aliena uiderentur, si quis unquam lenis, dulcis, blandus, si quis item grauis, seuerus, prudens, nullum uerbum temere proferens, tum si cum opus esset callidus, si ludens, si pertentator, deniq; si eloquens, si facũdus unquam fuit, is profecto noster Dux fuit: is prope unus omnium oratorum omnem uim, omnes illecebras, omnes ut ita dicam, Veneres est consequutus. Nihil addo Proc. nihil fingo, Audiuistis eum ipsi sæpe: eius uerba atque uoces auribus uestris hausistis. Quæ uos, quæ multi reges, quæ Venetorum Senatus, quæ Iulius Pont. Max. scit, nouit, laudauit, admiratus est; ea loquor. Atque hæc quidem eius uiri tam præclara tamq; regia eloquentia eo etiam admirabilior fuit; quòd quæ ipse in mediũ pro re nata æque tempore afferebat; ea si optimi oratores atque clarissimi diu culta elaboratag; adduxissent; non fuissent meliora: quæ

uero secum ipse ante commentabatur, quod erat ferè nunquam: sed si quando meditatus ad dicendum accedebat magna aliqua in re atque causa, eam sic tractabat, ut cum omnibus artis præceptis institutisq; uteretur, nullum tamen disciplinæ aut scholæ, nullum industriæ uestigium appareret. Sed iam ad historiarum cognitionem transeamus alteram earum artium, quas maxime regibus diximus imperatoribusq; conuenire. Quæ quidem certe ars ipsa quoq; bifariam spectari solet: duobus enim quasi terminis continetur, rerũ scilicet atque locorum descriptione. Harum partium alteram lato nomine historiam, alteram cosmographiam dixit illa bonarum artium studiorumq; omnium inuentrix & magistra Græcia: magnisq; utranque atque proprijs autoribus fulcijt. Quod postea nostri homines æmulati idem fecerunt. His igitur in singulis quantum noster Dux excelluerit, quæso Proc. cognoscite. Dico enim & quidem magna uoce pronũtio, quicquid unquam gestum à quoquam est, quicquid perpetratum, quod quidem literis mandatum sit uel Græcis uel omnino nostris, siue ex Hebræorum historia illa quidem perantiqua perq; ueteri, siue ex his historijs, quarum res gestæ post fuere, ueteres tamen ipsæ quoq; sunt, ut Persarum regum, ut Aegyptiorum, ut Lydorum, ut Armeniorum, ut Græcorum, ut Romanorum aliorumque inter hos populorum, siue omnino ex recenti atque noua, ea omnia Ducem nostrum legere audireq; uoluisse, semel uel lecta uel audita in promptu postea semper anteq; oculos habuisse ita, ut nihil unquam eorum exciderit. Quasi enim ille omnes in animo res insculptas

ptas haberet, nullæ gentium commotiones, nullæ exercituum comparationes, nullæ classes, nullum bellum, nulla pugna, nulla oppidi obsessio, nullum egregium facinus, nulla illustrior nex, tum nullæ morborum illuuiones, aut fames aliqua durior, aut præclare disciplinæ, scholæ, leges, cerimoniæ, sacrorum ritus, nullum denique neque factum neq; dictum paulo excellens inerat in literarum monumentis, quod non in eius memoriæ scepto contineretur. Equidem mihi ipse uideor mira nimium Proc. & fidem exuperãtia dicere. Sed quid agam? Taceam'ne ea, quæ uerissima esse certe scio, quæ uos fortasse sæpe, ipse milies sum expertus? ut cum alumni mei optime de me meriti, tum certe uestri Ducis uidear diuinis uirtutibus inuidisse? An proferam explicemq; omnia? ut qui hæc non uiderunt, non ante audiuerunt, mendacio me putent uel referre illi uelle gratiam, qui mearum fortunarum autorem omnium, uel à uobis inire, qui uestrum principem sic laudem? Sed me præstat uera dicentem quicquid lubet, quàm ea silentem ingratum atque immemorem uideri. Itaque illud iterum atque sæpius repeto, memoriam nostro Duci tantam fuisse, ut ea pro cæra atque codicibus uteretur. Quasi enim in illam transcriberentur eisdem literarum monumentis ea, quæ legeret, aut eisdem uerbis, quæ audiret, sic ordine postea positiq; permanebant, neque temporis ullo spatio longinquitate'ue delebantur. Ita ille cum uellet aliquid recordari, ad suæ se memoriæ quasi commentarium referebat: tum id tanquam relegeret, sic reminiscebatur. Sarmadas quidam in Græcia fuisse olim traditur ea me-

moria uir, ut quæ quis uolumina confeciſſet, ea ipſe mo-
re legentis repreſentaret. Magna profecto res atque per-
difficilis: neque enim ſine longa exercitatione atque uſu
effici tantus habitus atque ſcientia poteſt. Verum omni-
no nihil cum noſtri Ducis ſenſu memoriæ felicitate ue
conferenda. Nam Græculus ea, quæ legerat, tum, cum
legerat, fortaſſe recordabatur: paulò ſubpoſtea eadem
ſi petijſſes, profecto ſiluiſſet: Arte enim memoriæ illa,
quæ ab ijs, qui de ea re ſcripſerunt, eſt tradita, credo tu-
uabatur. Quæ uero arte atque uia quis conficit, tan-
tiſper, dum illa calet locorum diſpoſitio, qua qui id a-
gunt, utuntur, remanent: refrigerato negotio, euolant.
Itaque illi pauca eorum ultra retinent, pauca commini-
ſcuntur. Noſter autem nihil locis utebatur, nihil arte
conficiebat. Suus ſibi memoriæ quaſi ager ſatis frugum
ſine ullo cultu ferebat. Tum larga Deorum immortalium
dona atque munera nullis hominum laboribus, nullis ar-
tis præſidijs adiumẽtiſq; indigebãt. Vidi ego ſæpe Proc.
cum is longas paginas recitaret, nõ modo integris ſenſi-
bus, ſed ſingulis etiam uerbis, eorum ſcriptorum, quo-
rum ipſe ſemel libros cum perlegiſſet, eos poſtea in ma
nibus decem aut quindecim totos annos nõ habuerat, neq;
ullam interea earum paginarum mente unquam ſyllabam
recoluerat. Itaq; ut rem breuiter explicem, omnes actio-
nes, omnia tempora, omnia clarorum uirorum, omnia
illuſtrium fœminarum nomina, quacunq; in arte diſci-
plinaq; excelluiſſent, ita hærebant in eius memoria, ita
is eorum, quæcunque audiuerat aut uiderat, recordaba-
tur, ut ipſum unum diceres uel omnes omnium gentium
annales

annales conſcripſiſſe, uel omnibus ſeculis uixiſſe. Hæc
de rerum hiſtoria. De regionum ſede autem & locorum
illud poſſum dicere, quod non prouinciarum, non urbiũ,
non oppidorum, non penè uicorum, nõ item maris ullius,
non ſinus, non inſularum, littorum, portuum, non mon-
tium, non lacuum, non fluminum, non ipſorum etiam fon-
tium ullum is nomen neſciebat, uel quod prius fuiſſet, uel
quod eſſet nunc, non ſitus, non ſalubritates, non quo ui-
ctu quæq; regio, quibus moribus, quibus artibus utere-
tur, quibus excelleret rebus, alia quantum ab alia diſta-
ret. Itaque hercle nemini ſui fundi ratio fuit, quàm illi
orbis terrarum ſtatus atque conditio notior. Quid hoc
maius aut admirabilius dici poteſt? neque enim uerbi aut
laudis cauſa augendæ utor ſimilitudine Proc. cum dico,
nemini ſuum fundum notiorem, quàm illi orbem ipſum
terrarum fuiſſe. Latine me ſcitote non laudatorie loqui.
Quare etiam planius dico: Non antiquis, non recentibus
locorum ſcriptoribus egebamus ullis, ubi is erat: ille no-
bis unus omnes omnium ſcriptorum libros, omnes tabu-
las exhibebat. Quanquam is quidem ſuarum opum diſſi-
mulator magis, quàm oſtentator fuit. Nemo enim illo mi-
nus multa ſcire uideri uoluit, nemo minus alijs ſeſe præ-
ſtare. Itaque nihil unquam ferè, niſi peteres, niſi etiam
laceſſeres, explicabat: repetebat autem ſecum ipſe ſæpe
multa modo tacitus, modo leuiter ſuccinens, carminaq;
præſertim. Nam & poëtas puer legerat, edidiceratq;
magno ſtudio, & perbonis mirum in modum ſemper eſt
delectatus. Præter hæc è philoſophiæ fontibus multa
etiam hauſerat, eaq; præcipue, quæ de moribus diſpu-
tantur.

tantur. Disciplinam autem illam, quam iure meritoq; sacram dicimus, uniuersam perceperat cum antiquiorem, tum nouam. Itaque nihil habetur in ea obscuri, nihil ambigui, nihil translati, quod ipsum lateret: tametsi eiusmodi multa insunt in eius scientiæ scriptoribus. Medicinæ quoque præcepta ita tenuit, ut illi ipsi artis magistri, quorum opera utebatur, nihil ferè prospiceret, quod ipsum lateret, ei sæpe etiam ex ipsius consilio mederentur. Sed hanc artem non antea attigit, quàm cum imbecillæ ualitudines morbiq; inuaserunt. Itaque in lecto illam, non in scholis philosophorum perdidicit. Quid uero Proc. nihil'ne in Duce nostro, præter illas duas artes maximas quidem atque latissimas rei militaris & doctrinæ, quas commemorauimus, magnum atque præclarum fuit? quarum artium alteram tum, cum coalesceret, coactus est prope uniuersam abijcere, alteram, cum florere eius studia inciperent, lente remisseq; exercere. Fuere certe, fuere inquam plurima: quod quidem etiam si tacerem, uos tamen Proc. qua prudentia estis, ipsi per uos cognosceretis. Omnes enim prope uirtutes facile intelligitis uno mehercule doctrinæ studio uel acquiri ipsas, uel omnino perfici. Nam quemadmodum ueri ignoratio, uitiorũ fons & radix omnium atque malorũ est, ita necesse est à ueri cognitione atque scientia, quæ doctrinæ studijs maxime comparatur, deriuari coalescereq; uirtutes: quarum quidem semina tametsi à natura ipsa quis possidet, nisi tamen is adhibeat operam studiaq; literarum, bonam ad frugem ipsa nunquam ferè perueniunt, nunquam fructus uberes atque magnos ferunt. Quamobrem noster

Dux

Dux cum illarum rerum cognitionem, quas dixi, referre acceptam debet literarum & doctrinæ studijs, tum uel maxime reliquarum aut omnino, aut magna ex parte uirtutum comparationem ac perpolitionem: quibus profecto recensendis neque mea, neque alicuius oratio esse satis Proc. potest: sed ea tantummodo persequar, quæ cum mihi promptiora dictu sunt, tum uobis etiam re atque experientia notiora. Estis enim prope ipsi testes, in eo singulis, quod cuiusque est, tribuendo atque partiendo neminem illo unquam minus uel amorem uel odium admisisse, neminem magis omnem cum libidinis aut auaritiæ, tum omnium cupiditatum notam ab se amouisse longeq; reiecisse. Nam cum & natura sua propensus in æquitatem esset, & puer de me illum Theognidis poëte uersiculum audiuisset, quo is ait omnes uirtutes in una iustitia contineri, nihil illi postea ea re maius, nihil antiquius fuit: Erga suos, erga exteros, domi, peregre, in foro, in castris, ea puer, ea adolescens, ea iuuenis, ea uir incredibili tenore est usus: ut non solum ab eo quisquam nihil præter æquum atque fas impetraturum se confideret, sed iam ne peteret quidem: discordiarum autem, controuersiarum, inimicitiarum suarum eo arbitro etiam alieni uterentur. Ad illum enim, tanquam ad Areopagitarum tribunal Græcia, plurimi, qui eum nunquam uiderant suis de rebus atque causis eius iudicio ut transigerent, accedebant, in eius'que sententia illi etiam, quos contra statuisset, conquiescebant. Quæ cum ita essent, neminem tamen ab eo unquam uel pœna mulctatum, qui non plus peccauerit, quàm in illum animaduersum sit, uel

præmio

præmio affectum audiuimus, in quem nõ ipsa merces amplior eius officio fuerit. Itaque iustitiæ duas illas uirtutes cum in omnibus ijs, qui statuunt aliquid atque iudicant, tum in regibus & principibus multo maxime quærendas laudandasq; , adiunxerat clementiam & liberalitatem. Sed clementiæ atque mansuetudinis nobis cum sæpissime alias, tum eo sanè tempore uerissimum ac pulcherrimum testimonium reliquit, quo Cæsar Borgia Valentinus omnis humani diuiniq; iuris spretor atque perturbator, qui ei regnum per amicitiæ simulationem contra fas, contra fidem datam, optime etiam de se merito, perq; uim malis artibus abstulerat, saluti atque uitæ sæpe numero insidias fecerat, cum is ex magno imperio atque fortunis deiectus in Iulij Pont. Max. potestatem atque custodiam uenisset, noster autem Dux ab eodem Pontifice per literas atque nuntios Romam accitus, hospitio amantissime honorificentissimeq; susceptus, plurimis maximisq; tractandis rebus præficeretur, consilijs omnibus interesset, Romanis etiam exercitibus eius imperio atq; fidei traditis, esset illi quasi quodam fato uindicandi se de Cæsare facultas quàm amplissima oblata, nihil eorum in illum egit, quæ quidem ipsum facere æquissimum atque iustissimum fuit. Sed cum eius ille genibus aduolutus, suorum scelerum atque perfidiæ deprecatus ueniam esset, homini supplici atque miserrimo pepercit. Itaque qui in eius fortunas atque sanguinem omnia tentauerat, multa perfecerat, ut uidistis: eiusdem de libertate atque salute tum, cum sumere pœnas posset, nihil imminuit. Existimabat enim, idq; dicere frequenter solebat, non tum

tum pulchrum esse ulcisci iniurias, quàm obliuisci: illud sibi omnium hominum, perpaucorum hoc, eorundemq; non nisi magni animi uirorum, suorumq; factorum conscientia fretorum atque nitentium uideri. Liberalitatis autem quid ego exempla eius persequar, quem amici, quẽ cognati, quem necessarij, quem familiares, quem alieni, quem omnes denique homines in omni ætate omnium liberalissimum munificentissimumq; sunt experti? quiq; longe magis cum donaret aliquid, quàm alij, cum donantur, gaudebat? qui nihil se habere, nisi quod à se haberent homines, nulla re frui, nisi qua cæteri à se donati fruerentur, existimabat? Memini Proc. atque adeo aderam, cum ille admodũ puer de sua ueste tria sagula egregiæ materiæ atq; operæ totidem æquæuis sibi pueris suis hospitibus donauisset, eum ab Octauiano patruo reprehensum, qui dicebat, si sic faceret, sua ipsum ueste nihil usurum, respondere, At qui possum aliter tam multis sagulis uti? ipse enim plus uno non induor. Pulchra mehercule uox, eoq; puero digna, qui quidem esset in talem uirum, qualem nunc amissum lugemus, euasurus. Itaque in illo cui nam harum duarum uirtutum, de quibus dixi, deferri primæ debeantur, liberalitatis an clementiæ, iudicio consequi difficilimum quidem puto. Innocentia uero ac continentia, in tantis opibus, tam amplo in imperio atque regno quanta is fuerit, nolite commoneri uelle Proc. uos met ipsi uobiscum recordamini. Solent alij plerunque reges fortuna sæpissime abuti: felicitatemq; suam in eo positam putant: si æque potentia atque libidine pollent: quicquid concupiuerunt, etiam consequi

expe

expetunt: itaque nihil castum, nihil sincerum, nihil sanctum, nihil tutum ab illis est: luxu, licentia, libidinibus, flagitijs, rapinis, stupris corrupta deprauatáq; sunt omnia. sibi autem cariores illos habent, illi apud ipsos ampliore loco sunt, qui ad explendas eorũ libidines plus curæ adhibent, plus laboris: quo fit, ut plenas domos habeant audacißimorum perditißimorumq; hominum, qui neque fas, neq; pium, neq; pudens, neq; rectum quicquam nouerunt. Longe aliter Proc. noster Dux: casta mens, castus animus: pietas, pudor, religio semper cum illo esse: nihil sibi ipse concedere, quod quidem cum omnes leges, tum certe omnes homines nõ conceßißent: suas libidines acrius quàm aliorũ cohibere: imperare autem sibi ipsum posse, id uero longe maximum pulcherrimumq; sanè regnum existimare: uoluptatẽ sine honestate nullam esse ducere, tum nihil proprium regis esse, præter gloriam & laborem: alijs putare se se natum plus, quàm sibi. Itaque maiorem ex ea re uoluptatem capiebat, cum benefacere uni aut alteri poterat, quàm si omnes in se homines omnia beneficia contulißent. Qua in re illud etiam mirum propemodum fuit, quod cum is aliorum in se beneficiorum memoriam animo semper repeteret, nunquam obliteraret, suorum in alios ita non retinebat, siue id magnitudine animi, siue liberalitate faceret, siue omnino promerendi sibi semper nouos homines uoluntate, ut quaſi sensum memoriæ non haberet, nihil eorum, quæ cuiquam benefecerat, recordari prorsus unquam atque respicere uideretur. Neque uero, qui circum illum erant, non probi, non frugi, non continentes, non bonis moribus,

ribus, non integritate præditi. Neque sanè aliter res se habere poterat, quando is suam in illos beneuolentiam ipsorum urtutibus, non sua libidine metiebatur. Itaque ijs internuncijs liberæ afflictorum querimoniæ de aliorum iniurijs audiebantur: iniuste oppreßi atque miseri subleuabantur: perditi flagitioßiq; puniebantur: temere imperata remittebantur: ablata restituebantur: indemnitati omnium atque saluti, paci, otio, libertati per eosdem consulebatur. Quamobrem illæ se urbes beatißimas existimabant, apud quas ille diutißime commorabatur. Sed quid ego tam pauca de illius cohorte atque comitatu dico? qui nunquam sine multis aliquo genere laudis excellentibus clarißimisq; uisebatur uiris? qui semper cũ bello strenuos, eosdemq; ingenuos, & suarum ciuitatum principes iuuenes, tum uel maxime cultu literarum clara præstantiaq; ingenia secum habebat, siue mathematicis in disciplinis, siue philosophiæ, siue reliquis in studijs leuioribus, pangendisq; carminibus præsertim: quibus cum & natura & certe iudicio plurimum delectabatur, tum eorum magistros semper fecit plurimi, semper apud se esse uoluit: ijs in castris, in itineribus, domi, peregre, ijs in mensa quotidianoq; in conuictu familarißime utebatur: cum ijs dies ac noctes, dum sibi per negocia liceret, consumebat. Itaque neque superiorem Africanum Ennio, neque minorem illum & C. Lælium Terentio magis delectatos accepimus, quàm noster Dux his delectatus poëtis est, eos charos habuit, quos ego Proceres, quoniam hic eorum aliquos aspicere potestis, idcirco nihil nomino, nihil appello: satis per se

ipsi uobis cogniti perspectiq; sunt. Ptolomæum Philadelphum regem Aegyptiorum aiunt poëtarum ita studia coluisse, septem ut illos celebres Græciæ poëtas secum uno tempore habuerit, qui quidem Pleias propter numerum sunt uocati. Illius credo exemplo Guidus Vbaldus Dux sine multis poëtis nunquam fuit. Quoniam uero non poëticis solum studijs: sed, quemadmodum dixi, aliarum etiam bonarum artium disciplinis doctos homines adamauit, nihil unquam fuit eius comitatu amabilius, nihil splendidius. Non Pleiades modo stellæ Proc. sed uniuersi propè cœli species eius in domo quasi radiare uidebatur. Itaque audiui sæpe multos, qui dicerent, cum Hispaniarum regem, tum quidem Galliarum tot tantarumq; urbium, tot populorum dominos, apud se tot præclaros homines, tam illustria ingeniorum lumina, ac planè sydera non habere. Sed neque fide is minor, quàm temperantia Proc. fuit: de qua nemo unquam questus est, nemo eam desiderauit. Non illius modo gentes autem, aut socij, aut fœderati, uerum etiam ipsi hostes ei semper plurimum tribuerunt, sanctißimamq; iudicauerunt. Itaque inter Iulium Pontif. Maximum atque Venetos expostulationum iniuriarumq; semina maximis de causis cum iactarentur, utrique illo disceptatore sunt usi, utrique in eius fide conquieuerunt. Nunquam uero ita sancte quisquam iusiurandum aliquod celebre, aut deorum immortalium testimonio initum ac percußum fœdus, ut ille uno uerbo datam ab se fidem coluit. Age uero, utrum existimatis Proc. facilitatem illi minus defuisse, an humanitatem

tatem, an etiam sermonis suauitatem? porrò cum ita faciles ad eum aditus essent, ita is omnibus hominibus omnibus horis pateret, ut neminem patrem familias commodiorem domus ulla habuerit, quàm eo Duce cum eius populi, tum exteræ etiam nationes uterentur: ita autem humanum se præberet, ut cum fortuna multos, dignitate plures, uirtute omnes reges superaret, humanitate ne ab infimo quidem ullo superaretur: comitate certe sermonis suauitateq; uerborum ita eas uirtutes quasi condiebat, ut non hominem aliquem uiderentur conuenisse, qui illum audiebant, sed planè quendam propitium atque beneficum hominibus deũ. Inerat enim in illo comitati adiuncta semper grauitas quædam regia, quæ quicquid ageret, quicquid diceret, ad dignitatem componebat, admiscebatq; leuioribus etiam in rebus illud, quod summis uiris maxime conuenit, decorum. Verum hæc omnia ab uno prudentiæ fonte quasi riui emanabant: quæ sic in illo scaturiebat, ut nunquam exaresceret, sic fluebat, ut in omnes partes diffunderetur. Nam cum nõ solum uitia uitas hominum actionesq; perturbent, sed ipsæ etiam uirtutes uel intentione nimia uel remißione sæpe decipiant: etenim quæ iustitia dicitur, eam si scuere nimium exequare, acerbitas appellari poterit: quæ clementia est, dissolute si utare, ea ignauia uerius atque mollities erit: adhibenda sanè prudẽtia est, quæ aduocet atq; retineat ea, quæ recipienda sunt, segreget repellatq; cõtraria. Hac igitur prudẽtia noster Dux quasi cœlitus demissa sic abundauit, ut non ea solũ ad uitanda fugiendaq; uitia uteretur, sed in exercendis

etiam bonis artibus sæpe tempori, sæpe rebus, sæpe personis aliàs magis, minus aliàs, honestati quidem semper, dignitati, gloriæ quantum posset maxime, inseruiret. Itaque illis uirtutibus eius animus redundauit, quas dico: quarum usu atque functione omnium illa etiam humanarum diuinarumq; rerum magistra sapientia comparatur: quæ quidem quanti facienda sit, illa nostri Ducis uox præclare docere nos potest. nam cum in eum quondam sermonem incidissent ij, qui cum illo erant, ut ipsum esse beatissimum dicerent, qui tot urbibus tot populis imperaret, tam magnificis ædibus, tam ampla supellectili uteretur, negaret ille se propterea beatum, quoniam auferri sibi illa possent omnia uel uno die, instaret alius, inferretq;: Quid tu autem Guide Vbalde inquiens, cum in tanta rerum affluentia uerſere, putasne posse unquam fieri ut ad pauperiem deuenias, indigeasq; illarum rerum, quarum nos indigemus? Ego uero, inquit ille, si ueneat sapientia: quo uno me hercule uerbo mihi quidem uidetur se sapientissimum ostendisse, qui suum regnum suasq; fortunas omnis se sapientia commutaturum esse, fieri si posset, præ se tulit. Etenim imperijs atque diuitijs cum fortuna, tum sæpe casus dominatur: parua interdum offensione, ueluti grandine totius anni fruges, sic totius uitæ omnes meidusfidus commoditates auferuntur. In sapientiam nihil iuris habet fortuna: nullam eius partem casus possidet: illa tecum semper est, utcunque te secundæ res fugiant: semper præsto est: nunquam illa te, nisi tu illam deseris. Itaque cum prudentia, tum certe sapientia noster

ster Dux usus & præterita reminiscebatur, & præsentibus consulebat, & prospiciebat futura, quæq; non nescire homines possumus, omnia prope callebat, siue ad homines ea attinerent, siue ad deos. Multa prætereo consulto: neque enim possum eius uiri benefacta uel dicta omnia breui tempore Proceres percensere. Vos tamen existimare debetis illum cæteris in rebus atque uitæ suæ reliquis partibus sui dissimilem non fuisse. His igitur atque alijs uirtutibus effectum Proceres est, ut difficile dictu sit. quàm illum sui populi dilexerint, quàm ægre illo caruerint, cum carendum fuit, quanta eundem beneuolentiæ testificatione reuocauerint, quàm se, quàm fortunas suas, quàm libertatem, quàm pro illo sæpe suam uitam in discrimen obtulerint, quàm nihil unquam perpeti recusauerint, dum illo saluo incolumiq; frueretur. Itaque nemo mihi unus pro aliquo unquam tantum laboris subijsse uisus est, ut pro illo uniuersi. Nam cum idem Cæsar Borgia, qui profecto cum fortuna dulci ebrius, tum parentis consilijs & potentia, quibus nitebatur, fretus nihil non audebat, nihil intentatum relinquebat, dum ipse Italiæ imperio pulsis deiectisq; regibus potiretur, Ducem quoque nostrum illustri perfidia de regno patrio deque auitis sedibus expulisset, populi, quibus quidem sumendi arma tempus datum non est, hostem enim simulato cũ Camertium regulo cumq; Florentinis bello fide data uenientem intra suos fines tanquam amicum maximis cum exercitibus receperant, repentino casu perculsi atque perterriti id, quod unum poterant, aperte mœrebant, palamq; lamentabantur:

nullis neque minis noui præpotentisq; domini, neq; pollicitationibus, neque quidem immunitatibus atque muneribus adduci unquam potuerunt, Guidum Vbaldum uotis omnibus ut ne peterent, ut ne ferre illi, quàm imperare alijs sese malle profiterentur. Quæ uero in regnorum euersionibus ferè semper regibusq; mutandis eueniunt, ut permulti, ut est hominum genus sæpe otij quietisq; inimicum, tanquam unius cibi, sic unius regni continuatione satientur, appetant, quodcunque oblatum est, plerique etiam ueteri sub imperio uel acceptis iniurijs uel calamitate aliqua affecti sperent sibi apud nouum dominum fore aut uindicandi aut subleuandi se locum, itaque illi sese dedunt, ad illum cogitationes omnes conuertunt suas, illum percolunt, illi obsequuntur: Horum tum Proc. nihil fuit: nemo enim ex ulla urbe honestus ciuis, nemo ex municipio aut oppidulo aliquo uel pago tenuis uir, nemo ex agris rusticus toto hoc in imperio atque hisce regionibus ea tempestate ad Cæsarem se non inuitus contulit: nemo non illũ perhorruit, euitauit, fugit, & ne oculis cerneret, quasi tetram aliquam immanemq; belluam, diligentiam & cautionem adhibuit. Itaque Guidi Vbaldi desiderium paucos mensis populi ægre cum pertulissent, perferre autem non possent diutius, Cæsaris exercitibus omnia occupantibus, ferrum illis, ignem, cædem, direptionẽ, proscriptionem, uastitatem, si quicquam molirentur, denuntiantibus, tamen à Cæsare una omnes semel iterumq; defecerunt: Valentinianos arcium præfectos trucidauerunt: magistratus in uincula coniecerunt: legatos interemerunt: cohor

cohortes legionesq; fuderunt: nominis propè Borgiani memoriam cum uestigio imperij non modo ex urbibus omnibus, uerum etiam ex monumentis singulis deleuerunt: Guido Vbaldo regnum denique seq; ipsos restituerunt. Vnde hanc tantam tamq; miram erga illum beneuolentiam, tam immensum amorem hisce gentibus fuisse Proc. existimatis? non enim ille eos magna ui aliqua thesauri, aut præmijs quibusdam ingentibus inusitatisq; singulos afficiebat: non ludorum quotidie genere aliquo detinebat nunquam aliàs audito, nunquam uiso: non exquisitis ullis epulis, aut tibiarum insolitarum deliniebat sonis. Sed quibus artibus in principes uiros conflari odia populorum solent, eas ille artes nõ exercebat, earum nulli se obnoxium fecerat, nulla detinebatur. Non libido unquam illum ad constuprandas suorum ciuium uxores aut uirgines, non auaritia ad premendas uectigalibus ciuitates, non impietas ad negligendam Deorum immortalium religionem, non crudelitas ad sumendam iniuste pœnam ab aliquo Proc. impulit: non à propulsandis iniurijs inertia, non à uindicandis timiditas, nõ ab honestate luxus, non deniq; à labore unquam animi ulla mollities deuocauit. Postremo quod cæteri tanti æstimant, eripere se interdum populis, aliquoq; abdere, ubi totos dies sine testibus uoluptati atq; delicijs uacent, id ille ne cogitandum quidem sibi esse unquam iudicauit: palàm omnia atq; in propatulo agebat. Itaq; illum omnes non tanquam unum ex Feretria familia procreatum, sed tanquam eodem, quo quisque erat, patre natum genitumq; intuebantur. Quamobrem minus mirum est,

si uel cum fortunarum suarum omnium discrimine carere illo non potuerunt. A quo enim se habere, ut fortunis suis ita uti uellent uterentur, existimabant, eas fortunas omnibus periculis obijcere, ut ei suæ fortunæ resti tuerentur, non dubitauerũt: seq; omnes emori satius esse duxerunt, quàm per quem ipsi inter suos bene honesteq; uixerant, eum perpeti sine dignitate alienis opibus uitam ducere in alieno solo. Sed hæc populi in calamitate Principis egerunt. Quid ipse autem Proc. qua magnitudine animi, qua fortitudine eam calamitatem pertulit? quàm non ægerrime, non demisse, quàm etiam pacate toto illo in exilio fuit? ut non plus ei fortuna de eius dignitate, quàm is fortunæ uideretur de ipsius iure detraxisse: quæ cum illum omnibus propè calamitatibus affecisset, nullũ tamen calamitatis in illo signum, nullum uestigium apparet. Quærite de Venetis, qui illum profugum, exulem, inopem, deiectum de rebus omnibus hospitio, urbe, opibus, autoritate, beneuolentiaq; iuuerunt: interrogate patres illos atque Senatum: qua enim grauitate sunt, nihil inficiabuntur: reperietis ita illum apud ipsos fuisse, ita se gessisse, nihil ut de maiestate, nihil de sermone regio atq; uultu, nihil de imperatorio animo, nihil de moribus, nihil denique de pristina conditione uideretur mutauisse, præter solum. Tametsi omnem illam exilij calamitatem uxor eius optima sanctissimaq; fœmina sua præstanti pietate aut omnino aut magna ex parte leuauit. Quod enim illa exiliũ, quam calamitatem, quos labores, quas erumnas mulier cũ pulcherrima, tum supra fidẽ uiri pudorisq; amantissima non leuaret? magni præsertim animi

animi, incredibilisq; prudentiæ, & cui mehercule ingenium præter ne mulierum captum dicam, an ne etiam uirorum contigit? cœlitus quidem illi atq; diuinum est. Itaq; in summo illo rerum fortunarumq; suarũ omnium discrimine tristissimisq; temporibus noster Dux magnum sane solatium charissimam prudentissimamq; coniugem fugæ, uiarum, curarum, laborum, cogitationum omnium comitem atque sociam habuit. Atque mihi quidem totius nostri Ducis uitæ cursum memoria repetenti, singulasq; animo felicitatis eius partes intuenti, nulla maior nulla uberior uideri solet, quàm quod ea illi uxor obtigit, de qua quidem cum pudicitiæ tum uirtutum reliquarum omnium omnes, quæ nunc sunt, quæq; in posterum futuræ sunt, mulieres exempla sumere abunde poterunt, ipsas uirtutes æquare nõ poterunt. Nam cum illa iam omnes nostri seculi præclaras atq; illustres fœminas omnium uirtutũ genere omniũ hominum sententia longissime superauit, tum ipsarum quidem uniuersi mulierum sexus atq; generis omnem præstantiam prætergressa longius est, quàm quod ullius mulieris ad uirtutẽ cursus posse assequi ullis unquam seculis uideatur. Dicerem hac de re aliqua Proc. ex multis, uel etiam ex innumerabilibus, quæ quidem possunt dici: sed neq; incipere potest quis, quin idem multa persequatur: & uos ea non ignoratis. Sic enim uiuit illa, uel potius sic uixit, nam ut nunc se res habet, ita se macerat, lacerat, confecit, ut ea uita qualibet haberi morte durior atque miserior queat, sic igitur illa inquam uixit, ut non ad uestras solum Proc. sed ad omnium etiam hominum aures eius

uirtutum uox atq; fama peruenerit. Verum hoc tantum tamq; eximium uxoris bonum cum uiri tantarum rerum gestarum tantarum uirtutum bono coniunctum, hoc tam rarum tam excellens coniugium Proc. ut uidetis, illud mali subsequutum est, quod ij liberos ex se non genuerunt. Veriti sunt fortasse superi, quæ accessio in hac familia uirtutum semper in postremos fuit, ij si filios habuissent, ne illi nimium proxime ad eorum conditionem accederent: Itaq; minus magnum interuallum inter se atq; nos, quàm ab ipsis positum statutumq; sit, relinqueretur. Nisi forte quoniam ulterius progrediendi locus non erat, sobolem ex ijs esse nullam potius, quàm nõ præstantiorem uoluerunt: interireq; tam præclaram stirpem, quàm uel regredi, uel etiam consistere maluerunt. Atq; utinam postquam ita statuerũt Dij, ut noster Dux sine liberis interiret, ipsum diu nobiscum esse siniissent, diu in uita longæuumq; reliquissent, ut hoc nostrum sobolis ex illo desiderium fruendi ipso longinqua diuturnaq; conditione leuaretur: Quod erat quidem æquissimum: ut cuius ipsius fueramus ueris imaginibus & stirpe carituri, eius uultum diutissime aspiceremus, amoris beneuolentiæ consuetudinis fructum, quàm multorum fieri annorum per naturæ legem posset, perciperemus. Quod si neq; sobolem ex nostro Duce ullam, neq; longam ipsius usuram nobis fuerant ijdem ipsi superi cœlitesq; concessuri, sed iuuenem florentemq; rapere atque intercipere illum uolebant: effecissent saltem, ut, quo minus, quoad uiueret, exercere sese posset, omnibus membris captus ac debilis corporisq; impeditus implicitusq;

doloribus

doloribus nõ fuisset: sed quos ipsos perpaucos nobiscum futurus erat annos, eos prospera ualitudine integeráq; confecisset: quæq; interea studia quasq; artes sequi atq; colere in animo habebat suo, ijs se dedere, eas tractare, ad earum sibi comparationem uires & neruos intendere licuisset. Nunc autem, O indignam uitæ sortem atque miseram, cum perbreue illi annorum ætatisq; curriculum dederunt: sex enim atq; triginta natus annos miser interijt: tum eius ipsius breuissimæ ætatis magnam meloremq; partem ita deformauerunt, ut ei nullum propè uitæ usum uiderentur, præter auræ atq; lucis reliquisse. Itaque ille infelix neq; liberos ex sese genitos ullos uidit, dulcedinemq; illam filiorum, quæ quanta sit, ij nouerunt, qui parentes sunt, cæteri ne cogitare quidem possunt, nulla ex parte est expertus: neq; quantum poterat, uixit, aut saltem quantum iure uitæ debebat: sed medio in cursu, uel etiam citra cursum medium est extinctus: Demum quoq;, ut nullius duræ conditionis expers esset, id tam modicum tamq; breue temporis spatium, quod uixit, sic profecto uixit, ut multo etiam minus sese uiuere sibi maxime optandum fuerit: ita porro eius temporis plurimam partem quasi mortuus inter uiuos fuit. Proh Dij immortales, dicerem crudeles atq; duros, nisi me mei Ducis mira pietas constantiaq; retineret: qui ne medijs illis quidem in cruciatibus, quibus est confectus, uocem ullam unquam contra uos aut plane gemitum edidit: Sed proh Dij cum immortales, tum sæpe mortalibus commodi atq; benefici parum, ita ne huius optimi sanctissimiq; uiri summa probitas, summus pudor, summa æqui atque

boni

boni obſeruantia, ſumma innocentia, ſumma fides, ſumma deniq; illa erga uos ipſos religio, obſequium, cultus, pietaſq; meruerunt, ut cum illum ſibi omnes eſſe patrem optimum atq; charißimum dicerent, ille tamen ex ſe liberos aſpicere nũquam poßet, nunquam dulce patris nomen ex ore filiorum auribus hauriret ſuis? ut cum eius cura & labore multæ gentes bene feliciter uiuerent, ipſe cum iuſto uitæ ſpatio, tum omni propè uiuendi ſpe atque dulcedine careret, ita denique uitam duceret, ut mortuis quàm uiuis ſimilior proximiorq; uideretur? Hoc ne præmium, hoc inquam præmium iuſtitiæ pietatiſq; cultoribus rependitur, hãc mercedem eſſe laborum ſtatuitis ijs, qui omnes ſuas cogitationes, omnem curam, omne ſtudium ad communem bonorum utilitatem conferunt, ut cum ipſi alijs quietẽ pepererint, bellum ſibi cũ aduerſa ualitudine durum atq; miſerũ, quoad uixerint, ſit gerendum? Itaq; ille quoniam ſua uirtute perfecit, ut omnium optimus & haberetur & eſſet, uos ut omnium ærumnoſißimus & eßet & haberetur, ueſtra iniuria perfeciſtis: cui quidẽ nihil tam proprium aut tam diuturnum in uita, quàm dolor atq; cruciatus fuerit. Sed continebo ipſe me: neq; in uos aſperius quicquam Cœlites atq; temere dixero. Nihil enim à uobis mali unquam ad nos: forte illud omne atq; fortuna prouenit. Atq; ille quidem non tam noſtro ſenſu atq; ſententia, quàm ueſtra etiam exiſtimatione atq; iudicio multo optimus atq; maximus fuit. Veſtra enim immortalia ſuperi numina eius uiri interitum ſignificationibus plurimis atq; clariſſimis concelebrauerunt: uos ipſi nobis ante, quàm mortem obiret

obiret, hominem eſſe interiturum longe omnium maximum atq; præſtantißimum denunciauiſtis. Nam & hoc ipſo anno eius thalamus, cum ipſe in eo eſſet, tactus de cœlo eſt: & ſubantea, quàm è uita exiret, terremotus horribiles in regni finibus crebros fuiſſe nuntiatum eſt: & ex altißimorum montium cacuminibus miræ ingentesq; ab incolis uoces multis in locis exauditæ ſunt: & noctu ſupra templum hoc atq; urbem longißimis ardere tractibus ſereno cœlo maximos clariſſimosq; ignes plurimi mortales conſpexerunt: Aedes uero, ubi nunc huma tum eius cadauer eſt, medio die à ſacerdotibus aperire ſeſe uiſa uano illos metu atq; pauore perterruit. Hoc ueſtrum Dij immortales teſtimoniũ, ueſtra hæc uox ac pene oratio fuit. Quanquam ea quidem ſigna nõ tam ullius noſtri Ducis iacturæ prænuntia, quàm noſtræ multo maximæ multoq; luctuoſißimæ fuerunt: nõ ad illum, ſed ad nos pertinebant. Ipſi enim te amiſimus Guide Vbalde: tu nihil amiſiſti, qui multo ante mortuus es, quàm è uita excederes, ante te ipſe, quàm interires, reliquiſti: imo autem qui te quidem nunquam reliquiſti: te enim ipſe, hoc eſt hominis rectum ſenſum ſemper habuiſti. Ipſi itaq; miſeri, qui te caremus: tu felix, qui nihil unquã feciſti, quod te facere non æquißimum fuerit: qui patriæ, qui tuorum ciuium incommoda longe plus cauiſti, quàm tua: qui omnia tibi pericula, omnes eſſe experiundos & ſubeundos labores, ut illi otio ac libertate fruerentur, exiſtimauiſti: qui te uirtuti, non deſidiæ, dignitati, nõ uoluptati, qui laudi, qui gloriæ, qui æternitati, non ſomno aut delicijs, aut uitæ huius breuißimis inanibusq; oblectamẽtis tradidiſti,

qui

qui semper cogitasti corpus uirorum fortium & bonorum ac magnorum hominũ esse caducum atq; mortale, animi uero præstantiam, quæq; ex animi præclaris motibus nascitur, gloriam sempiternam: qui denique te cum omni tempore, tum certe extremo ita gessisti, ut neque morbi atrocitas aut tædiũ, neq; in tam uiridi ætate mors adueniens perficere unquam potuerit, ut timoris signum aliquod, aut ægri omnino animi proderes: ultro uero, imperterritéq; abeuntis, uitáq; constanter cedentis plurima semper indicia notæq; apparerẽt. Atq; illam ipsam quidem mi Alumne optime atque sanctissime tuæ uitæ breuitatem, ut iam sæpius idem repetam, si quis recte æstimabit, tibi summæ laudi ac prope immortali gloriæ uertat, necesse est. Quanto enim maius est multas res præclaras atq; permagnas breui temporis spatio, quàm longissimo confecisse, tanto tu magis quidem laudandus es omnium ore gentium atq; seculorum, qui iuuenis eas uirtutes eas bonas artis fueris assequutus, quas omnes simul nulli, aliquas uel nulli uel omnino pauci diutissime uiuendi beneficio consequi profecto potuerunt. Nam si quispiam, quos tu in lecto annos ui morborum coactus consumpseris, eos à reliqua tua uita segregabit, sciungetq; ab ijs, qui tibi esse usui potuerunt: si item Borgianas cum insidias, tum inuasiones, tuam atq; tuorum fugam, errores, exilium, discrimina, miseras illas atq; acerbas cogitationes reputabit: alia uero ex parte idem si colliget, quot imperia gesseris, quot bella confeceris, quàm cumulate quàm perfecte omnem rei militaris disciplinam percallueris: post hæc si cogitabit, quantũ in studijs

dijs literarum continetur, tantundem te propemodum perlegisse, earũ uero artium in multis excelluisse, quarum ex uniuscuiusq; scientia multi homines celebre ac magnum sibi nomen acquisiuerunt: Postremo si æstimabit te regendis populis occupatum pauca horarum momenta ijs in studijs potuisse consumere, quibus quidẽ ij, qui excellere cupiunt, omnem suam ætatem impendunt, omnes noctes ad ea conferunt, omnes dies: hæc inquam omnia si quispiã cõsiderabit, uere te ille mi Alumne, uel multum supra hominum fuisse conditionem existimabit, uel infra deorum parum. Itaq; quantum tibi de huius uitæ usu cum aduersa fortuna, tum incõmodæ ualitudines detraxerunt, tantum addent homines ad tui nominis gloriam, celebritatem, memoriamq; sempiternam. Quãquam non hæc quidem tua uita dicenda est, quam in his corporis membrorumq; compagibus uiuimus: illa inquam, illa potius uita tua est: quæ omnium populorum animos tui beneuolentia in posterũ peruagabitur, quam omnis memoria repetet, omnia secula intuebuntur, quam sibi iure cõmendatã ipsa æternitas alet, secumq; retinebit. Quam ob rem non est, cur te parum uixisse doleamus, quandiu enim gentes erunt, tandiu uiues ipse in earum mentibus atq; sermonibus, tandiu homines tui memoriam summa cum tua gloria retinebunt: eruntq; permulti multis in terris semper, qui te dicent à perenni contestataq; uirtute maiorum perillustri celebriq; familia parẽtibus maximis atq; clarissimis genitum, penè puerum optimum militem, optimum imperatorem fuisse, consilio, ingenio, animi magnitudine, uirtute supra omnes nostri æui homines

mines excelluisse, eundem & Latini sermonis & quidem Græci peritiam atq; usum, ueluti natum in ijs atq; alitum, abunde cumulateq; habuisse, & ratione dicendi semper, quæ uolueris, confecisse, & quæ gesta unquam sunt, tum à quibus aut quãdo gesta sunt, tanquam omnia ipse gesseris, memoria tenuisse, & orbem ipsum terræ, quasi tuam domum, ita cogitatione comprehensum habuisse: Itaq; omnium rerũ, omnium temporum, omnium hominum, omnium locorum conditionem mirabiliter tibi uni exploratam patuisse: nihil te sacrarum literarum latuisse, nihil nostrarum, hoc est poëtarum & philosophiæ: te iustißimum, te clementißimum, te munificentissimum extitisse, incredibili continentia, innocentia, religione, pietate, fide, constantia præditum, humanitate, grauitate, prudentia, sapientiaq; præstantem, aliorum in te iniuriarum æque, atque tuorum in alios beneficiorum semper oblitum, nunquam in secundis rebus elatum, nunquam in aduersis fractum fuisse, non fortunam, non morbos, non mortem denique ipsam potuisse facere, quin eundem uultum, eundem animum semper habueris. Itaq; hæc cum homines repetẽt, illam te auem Phœnicem dicent fuisse, quam tua mater per quietem uidit, cum scilicet uirum, cui parem non est inuenire, cuiusq; mortuo ac sepulto corpore animi facinora atque uirtutes ignea cœli plaga, hoc est ipsa immortalitas excepe-
rit. Hæc inquam atq; alia Proc. de nostro Duce posteri omnes memoria repetent, cumq; repetent, nos miserrimos dicent fuisse, qui eo tum caruimus, cum quidem maxime inciperemus frui. Nam per deos immortales quid

est

est, quod nos amplius delectare possit illo amisso, à quo nobis omnia honesta & iucunda ceciderunt? Quid est cuius nomine uita nobis grata esse debeat eo mortuo, cui nihil erat gratum, nisi quod nobis uel uoluptatem afferret ipsis aliquam, uel dignitatem? Amisimus Proc. amisimus omnem causam non solum oblectationis, sed omnino etiam consolationis, qui ducem nostrum, qui optimum principem, qui bonorum parentem omnium, qui nostrarum fortunarum autorem, libertatis propugnatorem, otij, quietis, salutisq; patronum amisimus. Nam quæ nostra deinceps uita erit, amore beneuolentia, sapientißimis consilijs, amantißimis congreßibus, uultu, ore, oculis, consuetudine, sermone illius suauißimo iucundißimoq; sublato? Atque uos quidem Proc. quantum præsidij, quantum ornamenti amisistis, uidemini prope ostendere, qui mœrore omnes atque dolore confecti in lachrymis & sordibus & squalore uersamini. Me quidem certe ualde pœnitet uiuere. Atq; utinam illum ego potius meæ uitæ superstitem, quod erat quidem æquius, quàm ille me suæ reliquisset. Satis enim diu atque feliciter uixissem, si meo interitu eius interitum anteuertissem. Nunc uiuo, ut quos ego postremos meæ uitæ annos firmioribus alumni mei annis substentatos mihi dulcißimos futuros existimabam, eos ipsos desiderio illius, luctu, ærumna, solitudine, orbitate mea experiar acerbißimos. An ego, me miserum, potero aut non cogitare aliquando de illo, aut unquam sine multis lachrymis cogitare? qui mihi suauitate prope æqualis, prope frater, obsequio filius, amore & beneficijs quasi

parens optimus, atq; mitißimus fuit? Quem puerũ ipse iuuenis in sinu meo atq; hisce in ulnis alui, adoleſcentem uir bonis moribus, bonis artibus inſtitui, ſumq; iuuenem domi, foris, omnibus pacis, omnibus belli muneribus obeũ dis, omnibus in terris proſequutus, eundẽ admirari uirũ, eiuſdem me adiutore partis uirtutibus frui mihi ſeni non licebit? Quo nitebar, cuius in ſpe acquieſcebam, cui præſenti meas cogitatiões omnes impartiebã, is mihi ereptus ex oculis ui fatorum eſt: ego ferus ac ferreus uitã adhuc retineo? quam cur Cæſaris gladijs, non dedi? cur meo ſanguine infecta illius tela laterimeo atq; iugulo ſæpius admota non imbui potius, quàm eum, cui me uiuum ex tot periculis conſeruaueram, ne mea mors dolore illum afficeret, mortuum aſpicerem, ut mea uita ſempiterno luctui dederetur? Aut cur non tum ceßi, nõ emigraui, non me huic calamitati præripui, cum me magna uis febrium ita proſtrauerat atq; confecerat, ut ille ipſe meus alumnus mihi ſuas lachrymas, quaſi dona ultima inferiasq; largiretur? Memini enim memini illius temporis: cuius ut nunquam obliuiſcar multa eius pietate factũ eſt, cum is mihi laboranti dies atq; noctes aßideret, confectum iam, ac plane moribundum ſpe uitæ cõſolaretur: quam ego cum reijcerem, per ſuas me lachrymas, quas quidem plurimas effundebat, animo ne deficerem obteſtabatur. O uigilias tuas mi Alumne tunc dulces, nunc acerbas, ò dies obſcuros: ò noctes inſomnes atq; miſeras: ò curam meæ ſalutis officioſam, ſed inanem: ſi quidem me uiuere uoluiſti ut cũ ego te uellem uiuere, me nõ audires: me in uita ſenem retinuiſti, ut ipſe te iuuenẽ non poſſem retinere. O tuas lachrymas

chrymas nimium fructuoſas: quas ego aſpiciens tibi obtemperaui atq; uixi, ut tu meas lachrymas quidem aſpiceres, neq; mihi tamen obtemperares, Itaq; meæ inutiles atq; infelices fuerunt. Cur tu autem me incaſſum flere ſiuiſti, ſi ego te non ſiui miſer? cur meæ lachrymæ apud te nihil ualuerunt, ſi tuæ lachrymæ apud me plurimum ualuerunt? Repeto, repeto meã abs te pietatem: redde tu mihi illam, quam debes: reſtitue: reuiuiſce: & ſi mori aliquem neceſſe eſt, ſenile hoc pro te atq; miſerũ caput deuoueo. Sed quid ego hæc nequicquam queror? me miſerum, ille non reuixerit, ego non moriar, ſed ad omnes acerbitates ærumnasq; ſuſtentabor. Itaq; finis iam ſit querendi: atq; utinam mihi eßet etiam uiuẽdi: eßet autẽ, neq; paterer, ut illo mortuo me quis aſpicere auras ducentem poßet, niſi tua me Franciſce Maria fili cũ egregia indoles, tum ſingularis pietas cupiẽtẽ mori de curſu reuocauiſſet: quarum nobis altera patri te tuo fore perſimilem pollicetur, altera iam exhibuit. Itaq; quòd cœlũ etiam nunc aſpicio, quòd reſpiro, quòd ſenilẽ hanc uitam atq; hoſce uiuaciores canos, quã uellẽ produco, mihi ex te uno proficiſcitur. Quis enim, qui te intueatur, alloquatur, audiat, cũ te per ætatẽ confirmaueris, nõ illũ ipſum patrem tuũ in te reuicturũ putet? Si uero quo amore, qua charitate eidem patri tuo & ſæpe corporis uexato dolo ribus, & demũ morienti affueris, & nunc quidẽ tuas in illũ mortuũ lachrymas, tua officia plena curæ, plena pietatis, plena memoriæ uideat, nõ iam te illius ueros mores expreßiſſe dicat, nobisq; præſtitiße? Itaq; cũ ſæpe multa tuus pater prudenter ſapiẽterq; in uita, tum nihil magis

unquam prouidit, quàm cum te sororis suæ filium sibi adoptauit: ut quoniam se breui moriturum sciebat, nobis te relinqueret, quasi imaginem atq; simulachrum sui: qui populos ipsius morte prostratos spe tuæ indolis erigeres, nos afflictos mœrentesq; subleuares: quod quidē plane iam facis. Quam ob rem si aliquis sensus inest mortuis, credo illum, quo amore, qua in suos pietate semper fuit, uehementer lætari, non tam quidem, quod illi mortuo tantos honores tribuas, quāti certe uiro principi haberi maximi atq; amplißimi potuerunt, quàm quod omnium huius regni, cuius te ille hæredem reliquit, urbium, municipiorum, omnium harum gentium oculi eadē acie, qua illum intuebantur, te nunc respiciunt: quæ suas spes, suas opes omnis in te uno sitas atq; repositas putant. Quod cum ita sit, magna tibi adhibenda cura est, ne falsa is lætitia perfruatur, qui te uerißimis lætitijs semper frui uoluit. Magnum tibi onus, magnā prouinciā summus erga te tui patris amor imposuit, qui te tanto regēdo imperio ditionique præfecit: longe uero maiorē ipsius uirtus: quàm tu utinam superare poßis atq; uincere: æquanda tibi certe est, ne uideare, cuius regni hereditatem adeptus sis, eius uirtutes assequi atq; indipisci non potuisse. Simul & illud accedit, quod quoniam is uir maximi cū iudicij tum consilij semper est habitus, nihil est tam magnum atque arduum, quod abs te non sperare modo homines audeant, sed plane etiā ipsi sibi polliceri, & suo quasi iure abs te repetere propterea, quod aiūt sibi te illū adoptaturum, hæredemq; instituturum non fuisse, nisi te talem futurum, qui sustinere eius gloriam posses, sibi certum explo

exploratumq; fuisset. Hanc te opinionem hominum confirmare sane oportet cum illius causa, ut recte ipsum semper sensisse appareat, tum tua, ut tum maxime, cum de te bene senserit, ratione uideatur id fecisse. Postremo etiam cogitare debes, ne immemor beneficij uideare, quemadmodum ipse tantorum in te promeritorum gratiam illi debitam referas. Hanc autem nullo pacto referre maiorem potes, quàm si ita te gesseris, ut ei gratia omnibus ab hominibus, quod is te sibi filium instituerit, hæredemq; reliquerit, habeatur: Quod cum illius erit sanctißimis amantißimisq; tui manibus ad quietem iucundißimum, tum tibi ad gloriæ immortalitatem longe amplißimum: quam tu spectare atq; respicere omnibus in rebus semper debes, omnibus cogitationibus dies atq; noctes colere: ut non solum tui æui homines, sed omnes etiam posteri, quod de tuo patre futurum iam uides, tuum nomen sint tuamq; memoriam celebraturi.

Hæc puer cum recitauisset, peroratumq; esse dixisset, Sadoletus quidem atq; Philippus cum inter se, tum ad Sigismundum conuersi nō pauca de laudatione illa, multa de Guido Vbaldo deq; eius filio sunt colloquuti. Me uero Sigismundus præter cæteros defuncti Ducis misericordia permotum atq; perculsum nihil dicere cum uideret, illachrymasse etiam ijs, quæ recitabantur, animaduertisset, credo ut me ab ægritudine abduceret, tacentibus tandem illis, Primum quidem inquit fuerat Bembe, uosq; Sadolete ac Beroalde, quos amore mihi filios appellare debeo, ætate possum, idq; si esse posset, maxime omnium cuperem, Guidus Vbaldus ut ne mortem

obiisset, neue suo nos interitu mœrentes desolatosq; reliquisset: uiueretq; potius, quoniam per ætatẽ poterat, multos etiam dum nobiscũ annos, suasq; illas tot ac tantas uirtutes, quæ prope acerbæ, florentes quidem certæ, atq; adhuc crescentes exaruerunt, canam ad frugem ei perducere seniumq; licuisset. Quod quoniam effectũ non est, proximum illud est, ut is qualis quantusq; fuerit, ne sileatur. Id quoniam fieri iam uidemus, ferre quidem debemus æquius istam calamitatem, ad eamq; rem cogitationes nostras reuocare, ut si eius æternitatẽ gloriæ aliqua ex parte augere nos quoq; labore studioq; nostro possumus, id ne prætermittamus. Quod cũ uobis tribus facere maxime cõuenit, quibus singulis conficiendi maxime omnium facultas est data, tum quoniam cum illo uiro ipse etiã familiariter uixisti, abs te id Bembe omnes etiã impensius efflagitabũt. Itaq; non te debes luctui aut mœrori dedere: quid enim illi prodesse fletus ullus iam aut ægrimonia potest? sed id agere, ut quam illi uitam fata breuem esse atque percipitem uoluerunt, eam tu multo maxime diuturnam facias scriptis tuis. Tum ego, Vtinã Sigismunde inquam, in altero facere possem id, quod mones, tam graui accepto uulnere ut nequid dolerem: reciperem tibi quidem in altero me curaturum, ut plane si quid possem, id experirer, non tam ut efflagitationi hominum responderem: nam quæ potest hominum esse ulla in re de illo efflagitatio, de quo nihil sibi quisquam promittere paulò egregiũ aut excellens potest? quàm ut illi pro sua in me beneuolentia atq; amore pietatem meam atq; memoriam literarum contestatam monumentis, confirma

firmatamq; rependerem. Sed non possum dicere Sigismunde, quanta cum illius corpore ingenij animiq; mei pars atq; uis interierit. Itaq; neq; ad nostra quidem studia redire, ut consueueram, possum, neq; aliquid cogitare, præter hoc unum, quo conficior, omne scilicet mihi meæ uitæ solatium atq; præsidiũ esse sublatum. Quamobrem tuum erit, qui horum temporum res gestas complectendi, prodendiq; literis laborem susceperis, nostri quoque Ducis historiam aggredi, cum præstantissimi ac prope diuini hominis, tum certe Iulio Pont. Max. hero tuo non solum amore atq; beneuolentia, sed etiam necessitudine cognationeq; cõiuncti. Qua in re nõ uereor, ne ille, si hæc sentit, æternitati suæ optime prospectũ iri nõ sit existimaturus. Nam qui te melius facere id possit, nemo sane est: nemo in hac scribendi ratione maiori, quã tu, dignitate atq; præstantia est uersatus. Quæ tibi si probabũtur, remq; perinde, ut te decet facere, suscipies, optimum certe atq; aptissimum consolationis genus ad eius uxoris afflictæ atq; miseræ lachrymas mœroremq; leuandũ adhibebis. Magni enim præstantisq; animi mulier, & uiri supra omnes fœminas amantissima tum sibi illum minus ereptum putabit, cum is in mẽtibus hominũ atq; sermonibus magisq; ea, qua dignus est, gloria celebritateq; uersabitur. Vtinam inquit Sigismundus, aut is essem ipse, quẽ tu me Bembe quoniam esse maxime uis, interdum esse etiam putas, aut saltem in hac ingenij mediocritate, qua me esse sentio, otio ne egerem. Aggredere quidem opus si minus consulto, permagna enim res est, ualentiorumq; certe uirium, quàm sunt meæ, at amãter,

at officioſe, at magno animo, at egregia propenſaq; uoluntate. Sed quid agam? an ignoras cui addictus Pontifici ſim? quàm occupato domino, quàm omnium prope nationum, omnium gentium ſalutis, quietis, incolumitatis procurationem mente uerſanti, ſtudio agenti, labore cõtentioneq; obeunti ſeruiam? Itaq; me quæ negotia circumſepiant, qui circumſtent ſemper cogitationem meam quaſi montes ſcribendarum epiſtolarum non uides? ut mihi quidem multo ſæpius ſomni & cibi capiẽdi tempus deſit, quàm adſit horæ ſpatium, ut mihi libitum eſt, ſic uiuendi. atq; hoc quidem diei, quod nunc uobiſcum conſumo, qui ſic cõſumerem, ſi bona ualitudine uterer profecto non haberem. Eſſem enim unà cum illo profectus: ut ſoleo ſemper, cum mihi recte eſt. Quamobrem non modo hercle mihi nouas ad res atq; hiſtorias capeßendas adhibere animum cogitationemq; non licet: ſed ne illam quidem, quam aliquot iam annos cudo, quamq; ipſe commemoras, conformare penitus atq; cõficere poſſum. Quod ſi mihi unquam tantum otij continget, quantum homini plane ſeni ac per totam uitam exercitato laboribus profecto æquũ iam erat contigiße, dabimus ſane operam, ne nos fruſtra monuiſſe uideare cũ alijs quidem de cauſis, tum imprimis, quia te exiſtimare uideo Ducis me tuæ maxime conſtantiſſimæq; fœminæ rem ad eius dolorem minuendum idoneam accommodatamq; facturum. Magni enim eam mulierem facio cum propter eius reliquas innumerabiles eximiasq; uirtutes, tum uero certe propterea, quoniã pudoris in illa & caſtitatis mira quædam incredibilisq; in omni ætate obſeruantia atq; cultus

uiguit

uiguit. Perpudicarum autem nunc quidem fœminarum magna Bembe paucitas eſt. Itaq; ſic exiſtimo hac tempeſtate quaſi clariſſimum lumen extinctis cæteris eius mulieris pudicitiam elucere. Tum Sadoletus equidem cum de Bembo inquit, tum de alijs ſæpe permultis audiui Sigiſmunde, qui dicerent, iſtam, de qua loqueris, fœminam ſanctiſſimam profecto eſſe, multoq; maxime pudiciſſimam, eaq; uirtute magnum illam nomen apud omnes gentes adeptam in ore hominum multa cum laude gloriaq; uerſari. Itaq; nihil miror, quod quaſi clariſſimum lumen elucere illius pudicitiam dixeris: Sed quod extinctis cæteris dixeris, id miror. An tu illam unam putas pudicam eſſe, caſtam, conſtantem, præterea neminem? Vide quid agas: nam ſi id reſcierint reliquæ, uideo tibi cum acerrimis hoſtibus bellum perpetuum eſſe ſuſceptum. Tum ille, credo inquit tibi hoc Sadolete planè, quod dicis, omnes ſcilicet fœminas mihi acerrimas hoſtes perpetuo futuras: inuolaturas etiam, tanquam in Orpheum Ciconum mulieres, ſic in me noſtras impetu facto timerem, id ſi dixiſſem, ex earum grege tam innumerabili pudicam eſſe nullam, præter hanc noſtram, de qua loquimur, Ducem. Ita enim ſe res habet, ut quanquam caſtæ atque pudicæ non omnes ſunt, ut leuiſſime dicam, nulla tamen propè eſt, quæ credi haberiq; non cupiat. Itaque ægre moleſteq; ferunt, cum non habentur. Sed non hoc ita dico, elucere in ea fœmina pudicitiæ lumen extinctis cæteris, quaſi quidem pudica nulla ſit, præter illam: id enim tu non recte interpretaris: quis autem hoc ferret, ſi dixiſſem? Sed quemadmodum ſtellæ,

tametsi semper quidem sunt atque lucent, tamen extinctæ nobis uidentur esse, cum suum terris lumen sol explicuit propterea, quòd in maximi atque clarissimi apparitione luminis illa stellarum quasi puncta ignea hebetantur, neque emicant foris: ita etiam quæ in reliquis fœminis pudicitia esse aliquibus potest, est illa quidē pudicitia, habetq; suam per se ipsa lucem atque splendorem: sed cum ad illius unius fœminæ pudicitiam comparatur, offunditur statim, quasi multò maiore lumine, opacaturq; ita, ut nihil propè appareat, sed extincta intermortuaq; uidcatur. Caue enim putes Sadolete ullam unquam fœminam æque magnum de se exemplum pudicitiæ præbuisse, atque illa præbuerit. Quod nam istud tam magnum tamq; præclarum exemplum est? inquit ille, Non enim te puto ita dicere Sigismunde propterea, quòd illa uiro suo eum pudorem præstiterit, quem præstari leges iubent. Nam id permultæ sanè mulieres fecerunt, quas cum uirorum, tum honestatis certe amor in officio continuit. Longe maius atque admirabilius hoc quidem est, inquit ille, quod dico. Nam illa uiro suo eum pudorem præstitit, quem præstari neque leges, neque mos, neque consuetudo ulla iubet: posse enim tantum fœminas, in hominum cogitationā nunquam incidit. Sed quære tu hæc de Bembo, cui propter illam quam cum ea muliere habet familiaritatem, exploratiora reor esse, q̃ sunt mihi. Tum ego mihi quidem ista exploratissima inquam sunt: coniectura autem consequor Sigismunde, quibus de rebus dicis. Sed non committam, ut quæ illa uiginti propè annos, summa sua uirtute constantiaq; reticuit

cuit, reticeri autem cū ab omnibus, tum uel maxime uult à suis, ego nunc proloquar. Hic Philippus, tu uero Bembe inquit, magnā mihi cupiditatem isto tuo silentio iniecisti audiendi ea, quæ hic dicit: quæ quoniam necesse est esse pulcherrima, de pudicitiæ enim exemplo quodam magno atque insolito loquitur, miror, cur de illo silendum tibi esse potius, quàm commemorandum putes. Nam quid tam esse abditum, aut tam reconditum potest, quod si nobis duobus abs te proferatur, reprehensionem cuiuspiam uereare? Tum ego minime inquam reticenda mihi esse ista ideo censeo Beroalde, quòd sit aliquid, in quo quidem uestræ aut beneuolentiæ diffidam, aut certe, si ea opus sit, taciturnitati: quarū altera nihil esse potest sanctius, altera nihil uerecundius. Sed quoniam, ut dixi, illa ipsa, quæ id egit, sileri sua facinora uult, idcirco sileo. Sileri autem uelle ideo illam puto, quod cum sunt ipsa uix quidem credibilia propter insolentiam, tum mulier sua conscientia contenta, hominum rumores predicationemq; nullis in rebus aucupatur, minimeq; omnium ei rei studet, ut si quid ipsa bene recteq; fecerit, id sibi laudem undecunque possit pariat: quin sæpe in eo multo etiam negligentior est, quàm uelim. Quamobrem referat, si ei ita uidetur, Sigismundus: ita tamen, ne emanent ea latius: id enim ego à uobis Beroalde atque Sadolete peto. Hic tum illi Sigismundum intuentes, explicaret enarretq; rem cum se cupere magnopere ostendissent, suamq; mihi fidem eius rei se in silentio futuros obligauissent, Ego quidem inquit Sigismundus, referam: uobis enim gerere morem uolo. Sed quam tu ab his taci-

taciturnitatem requiris, ea nihil opus Bembe est, ut uidetur. Nam quæ taceri uis, sunt iam illa quidem multis hominibus cognita, neque reticeri amplius ullo modo poßunt non planè mulieris ulla culpa. Sed, quoniam ita sibi oportere is magnopere credidit, eius uiri. Itaque, quando ita uultis, num idem uobis de illa fœmina poßthac existimandum sit, quod ego certe iam pridem existimo, ut iudicare poßitis, rem præclaram admirandamq; cognoscite. Guidum Vbaldum constat, siue corporis & naturæ uitio, seu quod uulgo creditum est, artibus magicis ab Octauiano patruo propter regni cupiditatem impeditum, quarum omnino ille artium experientißimus habebatur, nulla cum fœmina coire unquam in tota uita potuisse, nunquam fuisse ad rem uxoriam idoneum. Huius autem imprudens ipse rei adhuc omnino ignarusq; cum esset, experimentumq; uirilitatis ulla cũ fœmina nondum cœpisset, id enim cauerat diligentißime patruus, nubit ei hæc puella Francisci Gonzagæ soror cum Mantuæ regno, quod quidem ab antiqua maiorum suorum serie acceptum atque traditum poßidet, longe nobilis, tum in rebus bellicis magni atque præclari uiri. Itaque impubis admodum atque tener suscipiendæ sobolis studio, quippe, in quem unum huius tam egregiæ familiæ propagandæ ratio spesq; omnis incumbebat, ducit uxorem domum. Vno in lectulo cubant annos duos, cum ille interea, quid planè posset, experiretur. Itaque tandem cũ se frustra periculum facere animaduertit, mœrens dolensq; uxori aperit, putare se magicis impediri, quo minus uirum illi ostendere sese poßit: se miserrimũ

serrimum ac porrò infelicißimum nuncupat: qui cum spe liberorum careat, tum illi nullam de se uoluptatem afferre poßit, quam illa iure coniugij merito expetat: demum uideat, id si resciatur, suis se populis atq; omnibus planè gentibus despectui futurum. Mulier, quæ multo ante id, quod erat, rata nihil apud uirum questa unquam fuerat, nullum ulli mortalium uerbum ea de re fecerat, tum illũ solata hilari uultu orat, sustineat feratq; fortiter fortunæ iniuriam: multos fuisse olim reges, esse aliquos etiam tum, qui liberorum spe destituantur: præstare aliquando nullã sobolem habuisse, ita sæpe à bonis parentibus mali filij flagitioſiq; procreantur. Quod ad se attinet, bono animo iubet esse: nihil sese minus eũ amare, aut in posterum amaturam affirmat: quem quidem domo pudicitiæ suæ florem ad illum attulerit, eum se usque ad rogum perlaturam, ut quando ipse, cui se destinauerat, uti illo perfruiq; non poßit, nemo homo unquam perfruatur: tum daturam operam, ut quod biennium omnes mortales, ipsam etiam celauerit nutricem suam, id ex se resciri nunquam poßit. Vtq; dicit, etiam facit. Itaque quatuor atque decem amplius annos unà uiuunt, cum interea non solum populi, sed ipsi etiam eorum familiares intimiq; sterilitatis culpam ad mulierem potius traducerent, quàm ad uirum: ita eius planè rei nihil unquã rescitum est, neque nunc quidem esset, nisi eius ipse uir, omnia quemadmodum se habebant, aperuisset eo tempore, quo is à Cæsare Borgia domo expulsus ad Galloriũ regem, cuius in manu tum res erant, implorandi auxilij causa Mediolanum se cõtulerat. Nam rex in citeriorem

Galliam

Galliam cum traiecisset, apud Insubres, quos quidem populos pauloante suis prioribus regnis adiecerat, commorabatur. A' quo cũ nihil impetrauisset, erat enim is Alexandro Borgiæ Pont. Max. Cæsaris patri fœdere officijsq; coniunctißimus, uitæ etiam suæ certior factus esset insidias ab illis fieri, diuortium cum uxore faciendi, quãdo ipse cum ea rem nunquam habuisset, seq; ad sacerdotium conferendi spem eis dedit. Quod cum illi tanquam offam arripuissent, ita enim in Guidi Vbaldi regno propter mirum populorum in illum amorem nutante atq; labante confirmari se uidebant, rem ad regem detulere. Itaque is, an ita esset de Guido Vbaldo, cũ petijsset, ille autem annuisset, res ita sciri cœpta est, breuiq; postea tempore in multorum hominũ notitiam cognitionemq; permanauit: quam tu quidem Bembe tantopere silentio ut contineatur, postulas. Atq; his rebus omnibus Iulius nondum quidem Pontifex Max. apud ipsum regem cum esset, non interfuit solum, sed planè etiam præfuit: quo uno adiutore suarum fortunarum omnium Guidus Vbaldus plurimum utebatur, in eiusq; fide atque consilio sui in patriam reditus omnem spem rationemq; positam atque commendatam habebat. Sed ut ad mulierem redeã, non iam illa unã præclare tantummodo rem, sed in una re, res præclaras plurimas atque permagnas sanè confecit. Nam primum quidem omnium cum facere diuortium lege posset, homini enim ad coniugium exercendum minime habili nupserat, planè noluit. Itaque cum suscipiendæ prolis atque liberorum spei, quam iam animo conceperat, cuiusq; rei cura ad reges maxime atq; re-

ginas

ginas pertinet: habent enim ipsi regna, quæ quidem uti liberis relinquere dulcißimum suauißimumq; est, ita exteris alienisq; molestißimum: tum ijs, quas ex coniugio fœminæ in tota uita capiunt uoluptates, pudicitiam castitatemq; forti atque constanti animo prætulit: ad quas quidem uoluptates & natura illam uti omnes, & deliciarũ affluentia, propter familiæ amplitudinem splendoremq; præter cæteras, & institutio uitæ ad uirum capiendum, demum iam capti atq; in sinum recepti consuetudo usus non modo illam excitare, sed planè accendere atque inflammare penitus debuerunt. Deinde autem ita prætulit, ut tametsi illas ipsas uoluptatum illecebras, atq; inuitamenta quotidie ante oculos atque ipsis in ulnis, haberet, à uiro enim, quo ita melius rem celarent, nullo tempore duellebatur, uinci tamen se frangiq; ab ijs nunquam sineret, nunquam animum induceret, ut cum simulatæ uoluptatis specie singulis propè noctibus pertentaretur, uera semel uoluptatem uellet tandẽ, qualis esset, experiri. Nam cæteræ quidem mulieres, quæ perpetuo pudicitiã coluerunt suam, uel se sacris dediderunt, à cœtuq; atque omni consuetudine quàm longißime uirorum in claustra atq; septa sacrarum ædium sese abdiderunt: uel omnino ipsæ nunquam nupserunt: in parentum autem suorũ domibus à uirorum usu atque conuictu, quantum fieri potuit, abstinuerunt. Hæc uero mulier in mariti domo, in splendore cõuentuq; hominũ, in iocis, in licentia, in libertate maritali, in audiendis ijs, quæ uirginibus reticentur, nuptis ac uirum expertis non ita, in ipso uiri thalamo, atq; lecto, in eius denique sinu uiuebat, amore delitescebat,

comple

complexu, qualiſcunque is eſſet, confouebatur : ut cum permagnum perq; arduum fuerit illam ſe uirginem ſeruare uoluiſſe, tum planè mirum ac propè incredibile potuiſſe. Itaque quod in reliquis fœminis ſummum laudis genus eſt, fuiſſe ſemper uirginem, id ſanè in illa pulchrũ quidem atque præclarum eſt, ſed habet aliud, quo longißime ſuperetur: nã in eo uitæ genere fuiſſe illã ſemper uirginẽ, id uero multo præclarius atq; diuinius fuit. Non enim ſuum ipſius ſolum modo ſenſum in eo, atque innatam puellis omnibus ingenitamq; à natura experiundi uiros uoluptatem propenſionemq; compeſcuit : ſed multarum etiam rerum mores atque naturam peruicit. Quæ res enim ſingulæ alias mulieres mouent, itaque ijs abſtinent, cum abſtinere uiris cupiunt, eæ illam omnes nihil mouerunt, earum illa uires omnium atq; acumen retudit. Quamobrem cæterarum laus impartienda illa quidem eſt multis rebus, quæ certe ipſis, quemadmodum dixi, ad retinendam pudicitiam plurimum opis atque præſidij afferunt : habent enim conſimiles ſibi fœminas plerunque, quibus cum uiuunt, quas cum uident in eadem uitæ ratione uerſari, accenduntur ſtudio, adiuuanturq; imitatione : habent ſacrarum ædium parietes, qui non modo aditus difficultate uiros pellaces atque improbos repellere, ſed antiqua ſæpe religione ſacrorum etiam non pudicas cogitationes uidentur arcere: habent patrum & matrum & ſuorum ora uultusq;, quos obſeruant & uerentur, qui ſemper adſunt, & quam ſemel eæ uiam ingredi ſemitamq; uoluerunt, in ea illas progredi etiam taciti hortantur,

optio

optio etiam ipſa uitæ uoluntasq; quantum facit? ut cum te uni parti dederis, tanquam in bello eos relinquere, quos ſequutus ſis, ſic illam deſerere turpißimum planè atque indigniſſimum uideatur. Quid ipſe uſus atque inſtitutio? non ne ad omnem uitæ rationem plurimum conferunt? ut multo facilius id fiat, quod uſu iam docti facimus, quàm id, quod eſt repente conficiendum? Itaque ut dixi, communicanda eſt cæterarum fœminarum laus cum multis rebus, & eius portio ſæpe quidem permagna, ſemper autem aliqua illis danda. At uero ſuæ gloriæ tua Bembe Dux nullam rem ſociam habet: nullius adiumento ad illam promerendam eſt uſa. Totum illud, quantumcunque eſt, quod quidem maximum atque infinitum eſt, ipſius proprium eſt atque ſuum. Ipſa ſibi debet, ipſa ſe audiuit : ipſa ſibi ſe ad imitandum propoſuit, exemplum enim ullum non habebat : ipſa id egit, quod ne faceret, multa illam ſemper ſunt dehortata : ut faceret, nullum adiutorem unquam habuit, nullum admonitorem, præter ſe: nullius uocem aut nutum hauſit, præter ſuum. Poſtremo quanti illud faciendum eſſe ducitis, mulierem nihil unquam eſſe queſtam non modo apud uirum, ſed ne apud propinquos quidem, de illa fortunæ in ſe tam inſigni iniuria? nihil unquam lamẽtatam fratribus, ſororibus, ac ne uerbo quidem uno rem ſuarum intimarum multoq; maxime fidißimarum ulli per tot annos aperuiſſe? tum nullum ſibi ex eo nomen quæſiſſe, ex quo ſi quæreret, maximam ueriſſimamq; gloriam à ſe quæſitum iri perſpiciebat? utq; unius hominis puſillam infamiam atque notam caueret, omnium hominum uberrimas de ſe laudes

præconiáq; deſpexiſſe? ſua tantum conſcientia contentam nullam à ſuis, nullam ab exteris admirationem ſuæ conſtantiæ fortitudinisq; appetiiſſe? Quod quidem eo maius atque illuſtrius eſt, quo laudem quærere, quæ recte factis atque uirtute proueniat, in laudum genere maxime reponitur, maxime hercle honeſtiſsimum ſemper atque pulcherrimum fuit. Itaque ut eò redeam, unde huc deflexit oratio, reliquarum quidem mulierum omnium, quas uidimus, aut de quibus audiuimus, aut omnino quarũ hiſtorias aſſequi legendo potuimus, abſtinentiam & caſtitatem laudare certe ſoleo: atque in eo mihi uideor tantum laudis illis tribuere, quantum merentur. Huius noſtræ perpetuam pudicitiam, fortitudinem, conſilium, taciturnitatem non modo nunc quibus uerbis laudem, non habeo, ſed ne perinde quidem ac debeo, admirari me ſatis unquam poſſe ſane confido. Illarum enim omnium humana mihi uideri uirtus ſolet: in huius tam præclaro facinore plurimum mihi uidetur ineſſe demiſſi cœlitus atq; diuini. Idem ſi uobis Sadolete ac Beroalde uidetur, gaudeo: uobis enim maxime probari meum iudicium cupio. Nam Bembo quidem hæc probatum iri facile puto: modo ne uelit etiam hac de re quid ſentiat reticere. Tum Sadoletus, Mira quidem iſta inquit ſunt Sigiſmunde, quæ dixiſti: quæ ſi Beroaldus nunquam audiuit, ita illi etiam uideri arbitror, adderem incredibilia, niſi abs te dicerentur. Nam per Deos immortales quæ uirorum ulla probitas, quæ uirtus, quæ fortitudo, quis uoluntatis & conſiliorum tenor, quæ perſeuerantia unquam fuit cum huius mulieris animi magnitudine, abſtinentia, mentis conſtantia, æquabilitate

tia, æquabilitateq; comparanda? O aueam uirginem, ò præſtantiam ſingularem: ò admirabilẽ incredibilemq; uirtutem, ò noſtra non omnino inertia ſecula, quæ quidem iſtam fœminam genuerunt. Atque adeo taceri his de rebus Bembus uult: Bembus iſtius mulieris tam egregium tam immortale facinus ne reſciatur cauet. Caue tu hoc quidem poſthac Bembe unquam dicas. Solem propemodum intercipit, neque lucere mundo uult, qui hanc mulierum omnium latere gloriam ſinit. Quæ cum ille dixiſſet, Ego uero inquam Sadolete ita eſſe iſta cognita tam atque palàm, ut uideo, utq; Sigiſmundus cõmemorat, non moleſte fero: quæ quidem cum ad eius ipſius de qua loquimur laudem atque gloriam, tum ad aliarum mulierum omnium, ut ipſe ais, decus atque ornamentum pertinent. Gaudeo autem, quod me autore non reſciuntur: qui profecto contra illius uoluntatem atque ſententiam neq; facere neque dicere quicquam debeo. Sed non omnes illius mulieris laudes, atque adeo uniuerſa recte facta uno nomine pudicitiæ comprehenduntur. Multas alias bonas præclarasq; artes eius animus poſſidet: multis abundat ornamentorum generibus: multis uirtutibus, quaſi fontibus ſcatet. Nam ut ea prætermittam, quæ cum mulierum propria ſint, à muliere tamen niſi planè proba non expetuntur, innocentiam, pietatem, ſanctitatem, religionem, obſequium in uirum, diligentiam in familiares, ſtudium in omnes, moderationem in priuatis rebus, ſplendorem in publicis, cæteraq; eius generis, quæ quidem in ea ſumma omnia eximiáq; conſpiciuntur: Quid illa tandem Sadolete, quæ porrò in maximis admiramur uiris, quàm incredibilia,

quàm illi propè diuina contigerunt? urbium populorumq́; regendorum scientia, legum & iuris dicendi cognitio, regni procuratio non illa quidem insolens elataq́; , sed grata ciuibus, iucunda plebi, municipibus optabilis, expetita negociatoribus, accepta publicanis, agrorum cultoribus mitis, æqua socijs, probata exteris, omnibus denique omnium ordinum, omnium ætatum hominibus commoda planeq́; popularis? tum animi in aduersis rebus magnitudo, moderatio temperantiaq́; in secundis, prudentia, sapientia, unus idemq́; semper uultus, uigilantia, labor, nihil temporis sine negocio esse, nihil non modo sine magno consilio facere unquam, aut dicere, sed ne aliud quidem quicquam, nisi de optime hominum de genere promerendo dies & noctes cogitare: uirum denique ita agere, cum abesset ur, ut neque uirum neque fœminam desiderares: fœminam autem, cum adesset, ita præstare, ut tamen illam diceres uelle se minorem, quàm sit, uideri: Postremo in reos quàm placabiles animaduersiones, quantæ in miseros afflictosq́; condonationes, quàm honestæ munerum collationes in bonos uiros: denique quanta in hospites elegantia, liberalitas, quanti honores, quàm larga quamq́; hilaris susceptio. Nemo hercle rex, nemo magnus uir in eius regno hisce temporibus atque illos intra fines fuit, quin si modo illam uiderit, planè inuitus discesserit, atque ita tandem discesserit, ut iuraret nullo se in loco usquam aliàs aut elegantius aut amicabilius receptũ hospitio fuisse: nihil sese illa fœmina magnificentius, nihil sanctius, nihil humanius, nihil denique maius atque admirabilius unquam uidisse, nihil orbem terrarum habere.

Neque

Neque uero meo quidem iudicio male sentiunt, qui sic sentiunt: sentiunt autem planè omnes, qui semel illam sunt alloquuti. Nam cum est mulier corporis certe proceritate atque habitu, orisq́; pulchritudine, & oculorum totiusq́; uultus mira quadam & dulci uenustate atque mansuetudine longe amabilis, quanquam hæc conspectiora certe multo omnia illustrioraq́; olim fuere: nunc defloresceré decor ille formæ eximius, atque facessere hilaritas non tam quidem annis expulsa, quàm etiam fracta laboribus, atque curis obruta incipit: tum ita grauiter, ita prudenter, ita scite, ita blande ac lepide loquitur, ita purum recti animi sensum, atque omnibus bonis moribus excultam mentem singula eius uerba sapere, atque olere prope dicam spiritus & uoces ipsæ uidentur, ut is lapideus planè sit, qui unam cum illa muliere sessiunculam omnibus omnium mulierum delicijs uoluptatibusq́; non præferat. Itaque proxima æstate Beroaldus domum Roma per Flaminiam proficiscens eam mulierem de itinere meo ductu cum salutauisset, aspectu eius suauissimisq́; sermonibus mirum in modum delectatus, mihi maximas gratias egit, qui ei autor, ut omnium uirtutum exemplar aspiceret, sic enim illam appellabat, extitissem. Tum Beroaldus, Equidem inquit maximas tibi gratias atque immortales & egi Bembe tunc, & nunc habeo, semperq́; habebo, quod illa de fœmina ea ut præsens cognoscerem efficisti, quæ ne mentiar, narranti tibi antea non credebam. Putabam enim te propterea, quoniam eius summopere uirum atque ipsam amares, coleres, ipsi uero multa in te necessitudinis officia familiaritatisq́; contulissent, in illis

narrandis amore atq; beneuolentia duci. Sed ut primum illam uidi, salutaui, alloquutus semel atq; iterum sum, tum profecto intellexi & te apud me nihil supra ueritatem loquutum, & ipsam porrò efficere sua præstanti singularíq; uirtute, ut nihil possit ulla de fœmina tam egregium, tam amplum, tam laudabile, nihil tam singulare atque magnificum, nihil tam extra consuetudinem aliarum matronarum positum uerbis dici, quod ipsa re æquare tueríq; non possit. Itaque multas sæpe fœminas uidi, audiui etiam esse plures, quæ certarum omnino uirtutum optimarum quidem illarum atque clarissimarum, sed tamen perpaucarum splendore illustrarẽtur: in qua uero omnes collectæ coniunctæq; uirtutes conspicerentur, hæc una extitit, cuius omnino parem atque similem, aut etiam inferiorem paulò non modo non uidi ullam, sed ea ubi esset etiam ne audiui quidem. An existimas Sadolete ijs illam bonis artibus tot atque tantis, quas modo Bembus commemorauit, tantummodo abundare, præterea nullis? Falleris, si id existimas. Nam quid tibi ego dicam de studijs nostris mitioribus, quæ mulierum quidem ingenijs captu esse difficillima iudicantur, usu uero etiam alienissima? Quàm illa multa in his uidit, multa didicit, multa quotidie quærit de suis? Tum quo iudicio est, si quod uel nouum illi poëma recites, uel uetus? quàm pauca illam fugiunt? Aliud me hercule in uita egisse mulierem nihil diceres, si illam audires. Solutam uero eius orationem si uideas, Dij boni, quàm Xenophonteo melle illitos omnes eius codicillos atque pagellas dices. Itaque doctrinæ studijs claros homines quanti faciat, quàm libenter uideat,

quantis

quantis honoribus prosequatur, cum eo te conferes, facile perspicies: quo tamen si te prius contulisses, quàm aggressus esses Curtium tuum, iaceret puto ille suo in lacu sine ullis tuis honoribus, quos quidẽ illi maximos ac prorsus immortales tribuisti: sed quam tibi Apollo tuus in eius magnanimi uiri præclaro facinore heroicis illustrando fœliciſsimam operam nauauit, eam tu profecto ad huius mulieris laudes uirtutesq; celebrandas Deo etiam libentiſsimo contulisses. Hæc ab illis cum dicerentur, puer ad Sigismundum uenit nuntians à Pontifice tabellarios propere uenisse cum literis: quibus admissis ille ad legendas literas sese dedit: nos, quoniam diei paulum admodum superabat, discessimus.

PETRI BEMBI

BENACVS.

TE Ghiberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioq; tuas attingere laudes.
Sit modo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa uocat, nec eam uentura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibus uoluisse intexere chartis.
Nuntius ut uitreas Benaci uectus ad undas
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atq; dei lætis impleuit uocibus aures,
Aduenisse diem, quo formosissima terræ
Ausoniæ Verona sacris, templisq; regendis
Demissum cœlo & magnis uirtutibus auctum
Acciperet iuuenem, qualem uix ipsa petebat:
Forte pater gelido in luco syluaq; uirenti
Fontibus & riuis cubito subnixus & urnæ
Iura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, uestemq; parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aureis
Collectos comptæ crines tempusq; decorum
Incinctæq; auro sutasq; sinusq; fluentis
Vestibulo in thalami natæ, niueosq; lacertos
Nudabant operi: quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeq; Saloq;
Reddebant: sol æstiuos circũuagus orbes

Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allata Deus postquàm auribus hausit
Promissosq; olim fatis sibi lætus honores
Agnouit, tangens hærentem uligine barbam
Demulcensq; manu iussit uicina uocari
Flumina: dein sese placidum conuexa sub alta
Speluncæ senior solitaq; in sede recepit.
Postera iam cœlo stellas noctemq; fugarat,
Vrebatq; dies multo terrasq; fretumq;
Lumine: cum nitidis uenit Ticinus in undis,
Piscosusq; altas inuoluens Lambrus arenas:
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasq; interlitus auro:
Nec rapidus fluuioq; Athesis spectandus amœno
Defuit, aut Pataui circumq; intraq; pererrans
Mœnia Meduacus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboq; sacrauit:
Populiferue Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens uasto latissimus alueo
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus.
Portat, seq; mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atq; alios uelatus harundine crinem
Mintius excepit uenientes limine primo
Obuius, atq; in tecta parentis saxea duxit
Lætifico cordis non celans gaudia uultu.
Qui simul ac udos posuere sedilibus artus
Crystallo rigida fultis & Iaspide glauca,

Continuò Nymphæ menſas ante ora deorum
Speluncæ in medio niueis mantilibus alte
Conſternunt, dapibuſq; onerant, Dectæq; plena
Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
Præcingunt myrto atq; implexis flore coronis
Purpureoq; roſæ Medorumq; arboris albo,
Medorum quondam, ſed quæ nunc plurima lætas
Benaci ueſtit ripas, non illa caduca
Fronde uirens, ſuauiq; auras permulcet odore.
Poſt ubi prima quies epulis, Deus ipſe magiſter
Vndiſoni domitorq; lacus præſentia circum
Numina reſpiciens his uocibus ora reſoluit.
Quod uotis toties necquicquàm optauimus unum
Vobiſcum Diui, fauſto modo ſydere luces,
Voluentes luces fatorum orbisq; miniſtræ,
Aduexere, uehit pleno bona copia cornu,
Largaq; pomifera prætendit munera dextra.
Quare uos primo longæui à ſemine mundi
In mare cœruleum prono labentia curſu
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Flos etenim iuuenum, longa formidine ſecla
Perdita qui ſoluat, quiq; adglomerata malorum
Agmina tot belliq; faces, quas uidimus ipſi,
Bactra ultra Thylenq; ultra Scythiamq; releget
Quiq; urbes, quiq; arua colat, Ioue miſſus ab ipſo eſt.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Hic primum miſeris uiduatas ciuibus urbes
Accipiens, uacuosq; ſuis cultoribus agros
Replebit numerum exæquans augensq; priorem:

Oppidaq;

Oppidaq; ingenti multum quaſſata ruina.
Proſtratisq; ſolo latè mœrentia tectis,
Reſtituet, pulchroq; dabit ſplendeſcere uultu.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Magno nanq; pij iuuenis deuinctus amore
Hetruſcis pater, excelſas qui Tibridis arces
Poßidet, & nutu Romanum temperat orbem,
Illius eximias uirtutes, claraq; docti
Ingenij monumenta, & ſancti pectoris artes
Suſpiciens, obitosq; inuicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permiſit habenas.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Quid memorem ut tener & primæ ſub flore iuuentæ
Ingentem ad ludum properauerit auſpicibus Dijs:
Indole dein quanta nixus, quàm fortibus auſis,
Robore ceu firmo uentorum flamina Quercus,
Aut ſcopulus fluctus ſaxo excurrente marinos,
Sic undas rerum excipiens & plena pericli
Multa diu caſus uictor ſuperauerit omnes.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Sæpe illum abruptis in Vallibus Apennini
Verſantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansq; uiam obſtrueret torrentibus imber:
Pœninas uel per fauces, tractusq; uolantem
Aërios ſummo miſeratæ è uertice Nymphæ
Optauere, graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti
Aſtitit unigena proles Iouis, aut bona mater,

Vt mater

Vt mater bona, quæ charo timet omnia nato
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & uerba loquentis,
Ipse meas arteis iam nunc tibi dixit habeto.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras
Fluuiorum, nemorumq; ferax, pecudumq; uirûmq;
Gallia, non auri, pictæ non indiga uestis:
Diuersosq; iugo ad uentos, interq; cadentem
Surgentemq; diem longo protenta Pyrene,
Altis quæ geminas despectat cornibus undas.
Tum dictis, factisq; potens illa inclyta bello
Latáq;, & in latas Hispania dissita terras.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas
Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Ghiberte uidebant,
Acceptos conuersa sonos, cum uocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Testis & Hadriacus paruo qui flumine Rhenus
Lambit humum, testis Thuscis haud maximus undis,
Maior prole uirûm, & duinos Arnus honores
Promeritus, cœlum Diuisq; recentibus augens,
Pulchros qui colles, pulchramq; intersecat urbem:
Gens quorum imperio dispar nec legibus æqua
Illius in studijs iamdudum & amore quiescit.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Tu uero, tu Roma tui genus ecquod alumni
Iam non curarum, non commemorare laborum

Vna po

Vna potes? tolle egregium per secula nomen,
Tolle decus, daq; alta uirûm uolitare per ora.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Quantum Trinacriæ uertex se sustulit Aetnæ,
Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,
Tantum clara uirûm Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cœlestum concessit honores
Antiquis cumulans, at tu præsentia secla
Firmabis, ueterumq; abolebis damna malorum.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Ecce tibi læto uestit se gramine tellus
Et tibi sylua comas nutrit, tibi pabula surgunt,
Fœcundus mites implet tibi pampinus uuas,
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahas uel arundine longa,
Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in undis.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam,
Et plectrũ, & cytharam, scriptasq; ab Apolline chartas
Aeternùm quas ediscant celebrentq; minores.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Vt Phœbo, utq; Ioui confectis Græcia lustris
Sacra olim & pleno posuit certamina campo,
Sacra tibi, ludosq; tibi sic Itala tellus
Instituit, sic illa tuo de nomine dicet.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Accipe, quæ calathis porgũt tibi munera Nymphæ,
Luteolum Calthæ florem, Casiamq; uirentem,
Liliaq;, uiolasq;, & purpureos hyacinthos:

Haud

Haud porxisse prius poterant: bella impia bella
Pertulimus, dulces & deformauimus agros.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
Vt cum letiferos accendit Sirius ignes
Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
Pallet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustæ:
Arua colit nemo siccis arentia glebis,
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cuncta iacent nimio cœli contusa calore:
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
At postquàm lætos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas:
Ipsa uiret tellus: ripæ colles q; nitescunt:
Dant segetem sulci: nemus altas sufficit umbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos
Ruris turba Deam uenerata ligonibus udam
Vertit humum, & putres exercet uomere campos:
Cuncta uigent cœli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores uaga flumina, uoluite lymphas.
At uos in septem discreti culmina montes:
Tú q; pater Tiberine, tuum qui flumen olympo
Deuehis, hunc olim uobis multos q; per annos
Sit satis ó tenuisse: meam mihi iám date partem:
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

Finis.

PETRVS BEMBVS PRO ARA CORYCIANA.

SAncta quibus propriam posuit Corycius aram
Numina, perpetuos q; aræ sacrauit honores,
Humani columen generis diuina puella
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuinæ genitrix augusta puellæ
Felix sorte tua, felix nata, atq; nepote,
Aethereiq; puer magnum patris incrementum,
Arte boni quos egregia cœlo q; Sauini
Spectari, & Pario spirare in marmore fecit,
Hac uos pro pietate, illi pro munere tali
Reddite quæ posco, mea ne sint irrita uota:
Vt quos longa dies miseris mortalibus olim
Aduecta uarios senio ueniente labores,
Aegrum animum, & segnes effœto corpore sensus
Inq; solum pronos uultus, nixisq; bacillum
Poplitibus, tardosq; gradus, tremebundaq; membra
Tum crebras lachrymis causas, & dura suorum
Funera, & euersos mutata sorte penates,
Quæq; alia ex alijs passim mala consternatas
Implerunt terras cupidi post furta Promæthei,
Horum ille immunis, totos centum expleat annos,
Auspicio uestro superi, uestroq; fauore,
Integer ut nunc est, nec longæ damna senectæ
Sentiat, & carus patriæ, iucundus amicis,
Diues opum, Roma incolumi latioq; fruatur.

Finis.

EPISTOLAE ALIQVOT EIVSDEM.

PETRVS BEMBVS CHRISTOPHORO LONGOLIO. P.S.D.

CVRAVI mandata tua Florentiæ diligenter, idq; amplius, quòd Protonotario Bartholino, qui mihi uisus est mirifice de te & sentire & loqui, defensionum tuarum librum dedi. Cum Iulio Cardinale multus de te sermo, is mihi significauit, quod ad te Iacobus Sadoletus de Florentinorum erga te uoluntate scripserit, se autore factum. Romam cum uenissem, Cardinali Columnæ defensiones tuas misi, Sadoletum ipsum, Paccium, Adornium Lælium, reliquosq;, de quibus me tuis in literis admones, tuo nomine salutaui. Postremo etiam Leonis X. Pont. Maximi pedibus, cum is è Manliano rediisset, dedi osculum tuis uerbis. Nam me in urbe propter imbecillitatem ualitudinis meæ Apennini tra iectu uiæq; tædio & laboribus auctam decem ipsos dies continueram, Ille uero me, ubi esses, quid ageres quid cogitares, satis quidem familiariter, atq; (ut mihi uisus est) etiam amanter interrogauit. Aderat Paccius, qui & ipse de te, deq; illo ipso tuo libro, quem iam legerat. multa præclare. Idem, cum ego Principi respondissem te Patauium esse profectum eo cõsilio, ut consummandis ijs studijs, quibus te totum tradideras, biennium uel certe quantum ad id temporis satis tibi esset, impenderes, habere

bere dixit se abs te literas, in quibus erat scriptũ, te Florentinorum cõditionem uelle accipere, quæ quidẽ ad uerba nihil omnino Princeps, cũ antea adeuntibus illũ Romanis Consulibus, ut eius sententiã elicerent, num te donatum esse uellet ciuitate, cũ alia multa singulari cũ tui commendatione, tum illud etiã dixisset, fouere se tua studia, annuamq; ad id pecuniã tibi curari iussisse, ut quod statueras Patauiũ secẽdere, ut ea in urbe doctißimorũq; hominum cõuentu institutis iam abs te cõmentationibus aliquot annos dares, eius tibi cõficiẽdi facultas ne deesset, totumq; illud consiliũ profectionis tuæ uehementer à se probari significauisset. Quod eò tibi scripsi, ut scires quã iam ille opinionẽ atq; spem de te ocioq; tuo isto Patauino conceperit. De rumoribus, qui hic iactabãtur, male te de Romanis sentire, cũ hos montes nihil solidũ crepare diceres, planè nihil est, quod labores. Primum incerto autore, deinde parũ adhibetur fidei. Postremo quicqd est, id omne nostro aduentu iam euanescit. Amicos quidẽ habes omnes uel doctos uel bonos, præter unũ Sinonem illum tuũ, quem tamen doctũ esse nunquã iudicaui, bonũ credebam, in quo q̃ me fefellerit, uides. Itaq; oderit, diligat, æque habendũ, nisi tibi etiã iocundum esse debet, te ab illo non diligi, quem tua causa nemo bonus diligit. De Bembini Catelli mœrore suscepto ex discessu nostro qd̃ scribis, uide quid egeris. Auxisti tu quidẽ desideriũ uel etiã dolorẽ meũ. Valde me pœnitet illũ domi reliquisse tam fidũ, tam nullius oneris comitem, tantæ sedulitatis, festiuitatis, ioci. Vt omnibus delicijs carere mihi uideor, q̃ eius blãditijs careo. Numos Principis sex mensiũ nomine

tibi dependi curauimus. Eos habebis cũ his literis. Proto notario Saulio & Lazaro & Flaminio plurimã salutẽ dicito meis uerbis. Vale Romæ quarto Cal. Iunias.

PETRVS BEMBVS CHRIST. LONG. S.

REspondeo ad tres tuas suauissimas atq; amantissimas literas, diuersis temporibus datas, & quidem breuiter, teneor enim satietate quadam, uel potius tædio scribẽdi, ut nihil omnino difficilius, nihil morosius faciã, quàm cũ calamum sumo: nihil libentius, quàm cum depono. Cur? inquies, Quia, quoniã multos iam annos ea cogor scribere, quæ ad stomachum meum non faciunt, etiã illa, quæ mihi grata solent esse, nunc displicent, cũ sunt scribenda, ita scriptio ipsa omnis permolesta. Nisi forte diuturnus morbus segnem me atq; ignauũ ad omnia reddidit. Quod si est, spero me ad pristinam meã in scribendo alacritatem breui redituru. Satis enim belle, ut nunc quidẽ est, me habeo, omnesq; iam propè morbi reliquias abieci. Sin altera illa causa est, hinc euolem oportet, abdamq; me aliquò in studia scilicet, atq; in literulas nostras, quemadmodũ tu quidem fecisti, dũ illa dedisco, quæ inuito mihi adhæserunt, ut à me pagellã accipias libenti animo, ne dicam impigro scriptam. Sed uenio ad tuas literas. Bolducus noster quòd tam in te officiosus fuerit, gaudeo, eoq; magis, quòd nihil eorum, quæ commemoras, meo rogatu: egi tamen illi per literas gratias cũ tuo nomine, tum meo, qui quidem quasi Pollux omnia, quæ in te honoris causa tanquam in Castorem conferuntur, in me etiam conferri puto. De Naugerio meo quæ scribis, mihi grata sunt, ille uero nõ modo in literarum studijs, sed

sed etiam in amicis colendis mirificus. Qui quòd æstatem in suis Muranianis hortis confecerit, ualde lætor, neque enim uereor, quin illi constiterit fructus ocij tam iucũdi, ad quem quidem oblectandum, ab æstuq; tuendum, ut audio, etiam è Benaco multæ Citriorum arbores suas umbras adduxerint. Respondi ferè ad tuas priores literas. In secundis literis quod de Ioanne Pino Gallorum regis legato me admones, id erit mihi curæ. Semel illum conueni, cum esset domi suæ, ea de causa, ut constitueremus inter nos aliquid, quod tibi esse usui & ornamento posset: multus quidem de te sermo, sed quoniam erat ei cœnæ tempus, ita ab illo discessi, ut inchoata tantummodo esset effigies negocij tui, reliqua posita sunt non solum in diligentia, sed ualde me hercule etiam in casu: diligentiam ne adhuc quidem adhiberem cum Principis in molem Hadrianam secessio, quo uentitare propter imbecillitatem corporis minus sæpe possum, ille uero ferè quotidie, tum maximi calores effecerunt, quibus etiam qui ualentissimi sunt, à labore defatigationeq; absterrentur. Casus cum uenerit, eum quantum potero complectar, neque dimittam, nisi depicta omnibus coloribus imagine, atque ita confecta, ut nequid desit. Sed omnino totum hoc sic habeto, nihil ut mihi antiquius futurum existimes ijs rebus, quæ ad commodum dignitatemq; tuam pertinebunt. Itaq; si erit opus etiam collegam meum, ut suades, aduocabo, sed nunc, ut uidetur non est. De tuis obtrectatoribus quod ad me, quod ad Marcũ Antonium Michaëlem tam multis uerbis scripsisti, planè non probo, te ne nunc quidem corũ causa animo tranquillo esse,

quorum rumores & maledicta non solũ refrixerũt tuis responsionibus editis, sed planè iam omnis illa factio pro pè obmutuit, itaq; tu, si me audies, nullũ omnino posthac de illis uerbũ facies, atq; etiam si fieri poterit, ne cogitabis quidẽ. Neq; enim digni sunt, qui tuũ istud tam honestum ocium, tam præclara studia uel momentũ temporis interpellent. Quamobrem magis miror id, quod erat in postremis tuis literis, te scilicet ab illis in tanta gladiorũ licentia tibi interdũ timere. Tu uero qui Romæ Populũ Romanum stantem in te ac propè armatũ cõtempseris, sustinueris, fregeris, neq; interea timoris signum ullum ediderís, aut uocẽ emiseris, ab illo nunc non solũ fracto, sed etiam ad tuas partes traducto, in urbe minime turbulenta Patauio tibi esse timendum duces? Atqui etiam scribis Lerinam te propterea cogitare. Quàm uellem istud uerbum tuo ex ore ne excidisset. Sed nolo tibi molestus esse. Quamobrem abduc animũ ab istis cogitationibus q̃ longissime, teq; tutò esse posse existima ubicũq; erũt uel boni uel docti uiri, quãquam te iam omnes propè homines diligunt, habes autẽ Italiam maxime cupidissimã tui; propterea quod eam est tui fama nominis clarius atq; illustrius peruagata. Dedi tamen Marino Georgio Patauij Prætori literas hac de re, quemadmodũ tibi placere ostendisti, quem quidem existimo nulla in re tibi salutiq; tuæ defuturũ. De eo me uelim facias tuis literis certiorẽ. Prior pars earundem literarũ, quas ad me nouissime dedisti, tuorũ studiorũ uitæq; rationem cõtinebat, quæ me summopere delectauit, capiq; ex eo maximã uoluptatẽ, quod te uideo ita literis, quarũ es multo auidissimus, incumbere

cumbere, ut ualitudini etiam seruias. Pilæ ludus, quo te ante cibũ exerces, mihi ualde probatur. Deambulationiculas uero illas uestras, sermones, cõcursationes, de quibus scribis, peream, si omnibus Romanis præfecturis magistratibusq; nõ præfero. Cõsuetudinẽ autẽ, qua uteris, ut scilicet ante, quàm somno te des, reputes tecum ipse, atq; recolligas quicquid dignũ ea die memoria scientiaq; comprehenderis, quis nõ magnopere laudandã & complectandam putet? Pytagoreo præcepto illi ferè germanam atq; simillimã, ϖοῖ πϱέϐλω τί δ' ἔϱεξα. Nosti reliqua. Sed illa in doctrinæ studijs, hac in rerum actione uersatur. Itaq; ea tibi perpetuo utendum censeo. Altera fuit epistolæ tuæ pars minime quidẽ necessaria, qua mea in te beneficia commemoras, quod quidẽ ipsum in secũdis etiã literis fecisti multis atq; honorificentissimis uerbis. Ea si naturæ tuæ benignitate, amorisq; in me tui abũdantia impulsus collegisti, te eorũ esse morum, beneuolẽtiæ, comitatis planè gaudeo, nihil enim potest esse tam suaui liberaliq; natura amabilius atq; præstãtius. Sin propterea, ut uel te gratum offenderis, uel me in te amando confirmares, neutrum eorũ te adducere debuit in eã cõmemorationem. Nam neq; tu esse ingratus iam ullo pacto potes, qui si nihil aliud agas, tamen ea de nobis dixisti, scripsisti, nota esse omnibus hominibus uoluisti, ut me tibi etiam perpetuo deinctum putem. Neq; ego is sum, qui à te amando reuocare animum atq; mentem possim, nisi tu is esse desinas, qui profecto es, moresq; tuos atq; doctrinã dediscas. Itaq; si me amas, ne tu posthac ad me quidem quicquam eiusmodi. Heri cum in ea urbis parte

Ratio studiorũ ac vitæ.

Virg. in Bucolico.

Non prius in dulcem declinas lũmina somnũ.

Omnia quam longi reputaueris acta diei.

casu essem, quã tu incolebas, & Mariani Castellani hospitis tui domus mihi à meis pueris ostenderetur, uocari hominem iussi, eumq; tuo nomine salutaui, quam quidem ille salutationem mihi uisus est libentissime atq; hilariter accepisse. Dixi ei de te cupide sanè atq; amãter quærenti, quæ proxime habueram, à quo cum discederem, petij, num quid uellet ad te literarum dare, dixit se daturũ, uerumtamen non dedit. Sed omnino fui longior, quàm initio putaram. Collega meus Roma pedem non extulit, Princeps eum retinet, & ut puto retinebit. Exemplum tuarum ad me literarũ, quod requiris, erit cũ his literis. Saulio, Lazaro, Flaminio multam salutẽ dicito meis uerbis. Tu, si me amas, ad nos crebro, ut facis omnibus de rebus scribe. Incredibiliter enim me tuæ literæ delectãt. In quibus illud etiã uideo, quod mihi est planè iucundissimum, addere te quotidie aliquid scriptioni & stilo. Itaq; ταύτῃ τῇ γραμμῇ suadeo teneas. Cũ hæc scriberẽ Princeps in Vaticanum se referebat. Sed ualebis, ualitudiniq; seruies. Romæ XIII. Cal. Septembr.

P. BEMBVS CHRIST. LONG. S.

ACcepi tuas literas Non. Ianuarij datas ad XVI. Calend. Martias heri, cum exercendi mei causa extra urbem equo uectus claro & placidissimo die, aprica uia domum peruesperi redijssem, ab adolescente illo, quem mihi ipsæ illæ tuæ literæ commendabant, redditas meis pueris, cum eis, si quid uellem, se ad te postridie reuersurum dixisset, atq; ubi se conuenirent, ostendisset. Itaq; cũ ipsum nõ uidissem, has ad te literas dedi ante lucem, qua me quidẽ somnus hora singulis propè noctibus deserit

serit, adhuc enim uigilia nos exercet, qua una si relinquemur, essemus planè restituti. Sed uenio ad tuas literas. Quod meum de tuorum studiorum ratione iudiciũ tam diligenter exquiris, in eo & amori erga te meo multũ, & autoritati nõnihil sanè tribuere te ostendis, quorum in altero q̃ recte facias, tu uideris, cuius planè interest, si deceptus sis, ab altero ne te unquam deceptũ posßis dicere, cumulate ipse diligentissimeq; præstabo. Ad cã autem partem, in qua scribis, quid tibi causæ fuerit, ut auores scire quid sentirem, ut scilicet intelligeres rectè ne operã posuisses, an secus, quo, uel pergeres ut cœpisses, uel, aut aliam ingredereris uiam, aut in ea ipsa, quam es ingressus, cursu corrigeres tarditatem, existimabam satis me quidem superioribus literis respondisse, quibus te literis profecisse quidem multum scripseram, superesse autem aliquantum etiam, quo progrederere. Itaq; te hortabar, ut quod reliquum erat, conficeres, quod me hercule etiam nunc te hortor, hoc est, ut Ciceronem ipsum, quem tibi unum scribendi magistrum me autore proposuisti, eundem uniuersum non solum uores, sed etiam concoquas, ac in succum & sanguinem conuertas tuum. Id autem spero te assequi posse, si diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis, assecutum omnino esse, quemadmodum tibi antea scripseram, nõ existimo. Neq; hoc ideo dico, quasi tu parũ profeceris annua propè ad id cogitatione laboreq; adhibito. Multum est enim adde etiam si uis, maximũ quidẽ illud, qđ iã actũ abs te est, ut mihi quidem uideri solet, cũ tuas literas lego, meamq; de eo expectationẽ atq; spem nõ æquatam modo abs te, sed

longe etiam superatã tibi uere atq; persancte affirmo ac denuntio. Sed quia nollem eo te maximo esse cõtentum, & tanquam ad metam perueneris curriculo cõfecto, conquiescere, propterea dico. Nam quoniã ea est ingenij tui uis, atq; præstantia, nihil omnino ut sit tam arduũ tamq; difficile, quo si animũ intenderis, non te id posse cõplecti atq; conficere breui & luculenter putem, nulla te quidẽ in laudis mediocritate cõsistere facile patior. Itaq; quanquam minus fortasse uiæ supereſt, ut ad excellẽs illud atq; summum scribendi genus atq; formam perueniας, quo te uoco, q̃ est id, quo perrexisti, tamen nisi tu etiam, quod reſtat, confeceris, nõ tam mihi gratũ futurũ est, præclare sanè ac splendide id te muneris inchoauiße, q̃ moleſtum, non absoluiſſe, quod abs te commiſſum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam absolutionẽ tu te temporis sumpseris, atque hoc cum recordor, magis miror quicquam nũc te cum de cõmutanda ſtudiorum tuorum ratione, qui rectißima es ingreſſus, tum uero nũ tibi ſit, quaſi tarde adhuc ambulanti, deinceps feſtinãdum, ſciſcitari. Feſtines autẽ? ut quid? incidas in aliquem morbum? Ego uero te mi Longoli malo tranquilla nauigatione utentem aliquanto ſerius eum adipiſci eloquentiæ quaſi portũ, quem petis, q̃ propter nimiã uentorũ uim iactura facta celerrime nauigare. Quamobrẽ ſi meum conſilium ſequi uolueris (quanquam est hæc quidem mentis, potius ſenſusq; noſtri, q̃ ullius cõſilij ſignificatio) neq; hunc tu curſum cõmutabis, cur enim? neq; remo ullo plus utere εὐσταθείᾳ autẽ temperate ac planc ἡσυχαίως ut dicitur, ualitudiniq; in primis ſeruies. Sed iam ſatis aut etiã nimis

multa

multa de ijs. De Ioãne Pino, erit mihi curæ, çũ ut omnia mãdata tua exhauriã, tum illud maxime, ut quicũq; percipi ex hominis te amãtis beneuolẽtia poteſt fructus atq; utilitas, percipiatur. Id totum quale ſit, quoniã ſatis exploratum nõ habeo, nõ committã, ut eius te rei expectatione ſæpius excitem. Extremum est, quod erat primũ in tuis literis. Eius ad nos epiſtolæ tuæ exẽplum, quæ perlata non est, quod ſcribis mihi te mittere, ſcito nullũ fuiſſe cum tuis literis. Id uelim deſcribi mandes, mihiq; mittas, ne ulla tua lucubratiuncula nobis pericrit. Habes ad omnia. Nunc quæ præterea ſcire te non nolle arbitror, hæc ſunt. Apud Sadoletum reliquosq; amicos recte eſt. Thebaldeus & Beatianus etiam fortunis aucti tibi hilarius ſalutẽ adſcribũt. Ego domũ cogito. Quid est aliud? Intellexi de Alexandro capella uiro ſanè bono, & docto, & (ut mihi uiſus est) etiam amantißimo tui, te cum Nicolao Leonico homine uere Philoſopho ſingulari beneuolentia cõiunctum, cum eo familiariter ſæpe eſſe, uel propterea, quòd non longe ab illius ædibus incolis. O præclaram uiciniam, teq; hominem mirificũ ad præſtantium & clarorum uirorum amicitiam cõciliandam. Næ ego horum procerum prenſationes appellationesq; honorificas, omnium unà cum ueſtra deambulatiuncula & ſermone libẽter commutauerim. Nunc ei quod poſſum, multam ſalutem uolo impertias meis uerbis. Etiam Marinum Georgium Patauij prætorẽ, quem ſcis à me unice diligi, ex me ſi ſaluere iuſſeris, mihi gratißimum feceris, idq; ut facias, planè te rogo, tum & Saulium & Flaminium. Tu ualebis, nosq; diliges. Romæ.

P. BEMBVS GVLIELMO BVDAEO S.

AMabam te quidem antea plurimum. Quid enim nõ te amarem cum uirum optimum, & rectitudine animi uitæq; probitate atq; constantia grauissimum, tum de præstantissimarũ artium disciplinis, studijsq; nostris mitioribus, & literis uel Latinis uel Græcis optime meritum, atq; in isto doctissimorũ hominũ cõuentu & tanquã officina semper quidẽ celebri, nũc uero etiam solito uberiore Parisiorũ Lutetia opinione omniũ facile principẽ? Itaq; amabã te, pfecto antea sanè plurimũ, idq; mea sponte atq; iudicio uirtutis & doctrinæ splẽdore admonitus & excitatus tuæ tantummodo faciebam. Nũc uero, cum ad me perhumaniter honorificeq; scriptis literis me amari abs te, beneuolẽtiamq; meã etiã expetere te magnopere ostendas, ad illam pristinã in te amando inductionem animi uoluntatemq; meam tantũ ardoris adiecisti, ut non modo id, quod scribis cupere te, ut amemus inter nos, sis assecutus, sed illud effeceris, ut ipse magnopere cupiã me tibi esse eo nomine maxime omniũ coniunctissimũ. Quam sanè ad rem abs te impetrandam si minus ea, quæ tu fortasse quia in te sunt mihi tribuis, ipse in me nõ agnosco, multa & præclara ingenij & naturæ munera attulero, amantissimi certe hominis & beneuolẽtissimi studia officiaq; omnia confido, uel planè etiam tibi recipio me cumulate præstaturum. Quod me de Longolij patrocinio Romæ suscepto tantopere laudas, equidẽ Iuueně incẽsum bonarum artium studijs, eaq; causa domo tam longinqua profectum, ac nil aliud dies & noctes, nõ modo agentẽ, sed ne cogitantẽ quidem: optimis præterea moribus, excellenti

cellẽti doctrina, summo ingenio, incredibili studio præditum, ab inuidis neq; infimis hominibus nefarie circumuẽtum, unà cum uiro grauissimo omnibusq; uirtutibus omni disciplinarum genere, omni cultu literarum nostra ætate lõge præstãti Iacobo Sadoleto collega meo, eodemq; mihi uetere beneuolentia, consuetudine, studijs, sentẽtijs, uoluntate, tota deniq; uita cõsociatissimo, alijsq; permultis libentissime, atq; etiã multo uerius cupidissime defendi. Tametsi eo tempore aduersa ualitudine implicitus uolũtatẽ in eo defendẽdo ardoremq; animi, quãtũ par erat, adhibere fortasse potui, diligẽtiam, industriã, laboremq; non potui. Sed res ipsa & causa eiusmodi fuit, ut nõ tam sim laudandus, quòd Longolio affuerim, q̃ essem improbandus, si defuissem. Valde tamen gaudeo meũ in eo studium atq; officiũ tibi magno & præclaro uiro gratum optatumq; accidisse. Quòd uero etiã propterea tuã sim beneuolentiã consecutus, rideo meæ me nõ multæ operæ maximũ uberrimumq; fructum percepisse. Reliqua puto te cognouisse ab ipso Longolio, cuius aduẽtus eo nobis gratior fuit, quòd nihil de illo ad nos aliquot iam mẽses afferebatur. Eius ego cnosuetudine & cõuictu, tum doctrina & studijs mirabiliter delector. Quid dixi ego? est iam in oculis nostrorũ ciuiũ nõ mõ priuatorũ, sed planè etiã Senatus principũq; ciuitatis. Itaq; habet quosdã præstantis ingenij literisq; interioribus eruditos uiros, qbus cũ est fere quotidie utiturq; ijs ualde familiariter: inuisitur à multis, amatur ab oĩbus. Huius aũt qd' reliquũ est byemis nobiscũ, ut arbitror, cõficiet rogatu meo, & simul quod ei potestas facta est è bibliotheca, quã publice magis

magis illam quidem instructam atq; uberẽ, q̃ propositam & explicatam habemus, quos uolet libros promendi. Nã cũ sit in eo, ut de Catone scribit Cicero, inexhausta auiditas legendi, sitq; is quasi librorũ helluo libri uero ipsi præclari atq; multi, breui exaturaturũ sese illũ in legẽdo nõ puto. Quanq̃ de his deq; tota ratione studiorũ suorũ non dubito, quin te ipse diligẽter reddat suis literis certiorẽ. Qui & si omnibus in sermonibus, collocutionibus nostris me mirifice semper delectat, suauissimeq; detinet, nullis tamen de rebus illius sermo tam mihi est iucũdus, q̃ de te, quod quidem fit planè sæpissime, sed & hæc malo te ab illo. Tu si me tibi esse amicissimũ existimabis, quæq; à cõiunctissimis expectãtur proficisciq; solent, ea tibi de me pollicebere, nõ fallã opinionẽ tuam. Etenim ut tibi nõ assentior, ut existimem fieri non posse tu mihi indigenti cuiuspiam rei copiam facere possis, in quo tamẽ uerborũ tuorũ modestia sum delectatus, sic arbitror posse accidere, ut mea beneuolẽtia meaq; opera tibi quoq; usui sit futura. Quod si accidet, me in ære tuo esse, ut existimes, te etiã atq; etiã rogo. Vale. Venetijs Pr. Non. Ianuar.

P. BEMBVS GVLIELMO BVDAEO S.

ETsi existimem nihil necesse esse Christophorũ Longolium tibi à me cõmendatum iri, cũ intelligam uel ex tuis ad me literis, quantum tu illum ames, uel ex eius perpetuo de te sermone, ipse quanti te faciat, quantis doctrinã & uirtutes laudibus celebret & ꝓsequatur tuas, tamen faciendũ mihi nõ putaui, ut Leone. x. Pont. Max. illũ Regi tuo, per literas perq; suos et Regios oratores, diligentissime cõmendante, ipse nihil ad te literarũ darẽ, non

nõ quòd te putem ea re intellecta, nõ per te omnia, quæ illi esse usui possint, omni cura, studio, labore deniq; curaturũ, quippe, cum mihi gratias etiã egeris, quod illius turbulentis temporibus eius salutis propugnator extiterim, aut ut currentem hortarer, qui sciam nullius apud te hortationes tantũ habere ponderis, quantũ in amicis colendis cõstantiam ipsius tuam, mores, probitatem, fidem, sed ut egregiam atq; mirificam, in illo ornãdo Principis mei uolũtatẽ, tibi notam q̃primum facerẽ, ut siquid initio posses, rem cõfestim iuuares. Id autẽ totũ cuiusmodi sit, ex ipsius Principis ad Regem tuũ literis, quarum exemplum ad te mitto, facile perspicies. Quid te facere expediat, tu pro tua prudẽtia cõsiderabis. Oneris tibi quidẽ imponere neq; audeo præcipue quicquã, nec debeo. Tantum dicam, huius negocij cõficiendi multo me maximam spem in te uno posuisse. De ipso Longolio non dubito, quin, cum hæc illi nũtiata fuerint (est enim adhuc quidem harum expers rerũ ignarusq; omniũ) nihil nõ his commendationibus se ab Rege impetraturũ existimet, cũ te hominẽ ea apud illum gratia, eo loci habeat tam (ut cætera sileam) planè beneuolũ & amantẽ sui. Extremũ est, ut scias nihil te mihi gratius, nihil iucundius, nihil sanè optatius facere posse, quàm si & autoritatem tuam, qua plurimum apud Regem polles, & ingeniũ, quod quidem iam est omnibus planè gentibus summa cũ tua laude atq; gloria cognitum, ad illum fouẽdum, augendum, ornandum, honestandumq; conferes, quod ut facias, ut iam tibi nihil non oneris generatim imponam, etiam atq; etiam abs te peto. Vale. Romæ viij. Id. April.

Petrus

PETRVS BEMBVS, ERASMO ROT. S.

INcredibili uoluptate cum tuæ me literæ affecerunt, tua præsertim manu scriptæ: Cognoui enim ex ijs minime uerum esse id, quod ad nos incertis rumoribus afferebatur, uexari te morbo nescio quo, non sine maximo uitæ discrimine: tum Caroli tui, quem mihi commendas, sermo prudens ille quidem & suauis auxit uoluptatem meam: qui & ualere te, & præter communem illam locorum istorum tempestatem, quam commemoras, nihil tibi mali proprium accidisse scire se dixit. Quamobrem nihil mihi potuit afferri uel tuis literis, uel illius sermone iucundius. Quò enim minus multi sunt, qui nostram ætatem scriptis illustrarint & locupletarint suis: eò mihi grauius accidebat, te qui optime omniũ id & feciſti iam, & nũc etiã impẽsius facis, eripi cũ Germaniæ Galliæq;, quarũ es præcipue in oculis, tum Italiæ, quæ te una quãti faciat, illa ipsa tua scripta facile testantur: quæ quidem planè iam omniũ nostrorũ hominũ non solũ oculos atq; animos oblectauerunt, sed etiam bibliothecas referserũt. Itaq; redeo ad id, iucundißimas mihi fuisse tuas literas. In quo parẽ me tecũ habuisse cõditionẽ sanè uideo: quẽ suspensum de meo statu (putabas enim fortaße me Romæ fuiße miseris illis turbulentißimisq; tẽporibus, cũ direpta uastataq; est) Sadoleti mei literæ, quẽadmodũ quidẽ scribis, molestia liberauerũt, quibus literis me Patauiũ multo ante acceßisse cognouisti. Quam quidẽ me ad urbem ex multis laboribus, tanq̃ in portũ ex tempestate cõtuli, ubi quiescerẽ. Ea in sentẽtia utinã ipse quoq; Sadoletus permansisset, ut cũ semel prouinciam petißet, ut otio fruerẽtur, reſorberi ſe Romanis fluctibus nõ ſiuiſſet, fortuna in illum minus iuris habuiſſet. Sed homo omniũ innocẽtißimus fruſtra ſe à Pont. Max. peti uocariq; paſſus nõ eſt. Itaq; iuſſus illuc redijt: ubi iacturam feciſſe unà cũ multis magnis atq; claris uiris nõ tam reprehẽdendus eſt, quàm quod ante, q̃ Roma caperetur, ſeſe unus explicuerit, indeq; diſceſſerit, laudandus. In illo humaniter lapſus, uel etiã cũ ratione progreſſus eſt: hoc extremũ magni cõſtãtisq; animi, ac propè diuini cõſilij fuit. Sed de his hactenus. Perturbari tua ſtudia tumultu, ppè bellico, cõuelliq;, ut audio, ueſtrũ omniũ ueterem in Deũ Opt. Max. cultũ, cerimoniasq; ſacrorũ nobis à maioribus noſtris per manus traditas, moleſte tuli: doluiq; tuã uicem deuexæ iam ætatis hominis, inq; tuis optimis cõfirmatisq; iudicio & longinquitate uitæ moribus & uirtutis actione quieſcentis. Quanq̃ quis eſt, q̃ hoc tẽpore plures cũ fortuna expoſtulãdi cauſas argumẽtaq; nõ habeat? Tibi ſi recte cũ ualitudine tua erit, reliqua uel ſanabuntur aliquando, uel erunt ferẽda: humana enim ſunt: prudẽtibus præſertim uiris, q̃bus uiuis animi curſus & uolũtas impediri pietasq; nõ poteſt. Carolus Vtẽhouius erit mihi eo loci, quo apud te eſt. Vna enim cõmẽdatio tua omniũ mihi neceßitudinũ inſtar eſt, ut nõ modo nullo meo incõmodo, qd̃ adſcribis ipſe, illi cõmodem, ſi quid erit, in quo ei uſui eſſe poßim: ſed etiã ut nihil planè habeam cum illo nõ cõmune, non amicos, nõ domũ, non pecuniã ipſam, quam excipis, ſi ea uolet uti. Omnino nihil tam tuũ eſſe, q̃ mea omnia meq; ipſum ſi exiſtimabis, nõ fallam opinionem tuam. Id cum uirtuti tuæ atq; doctrinæ, tum tuo de me iudicio debeo. Vale. Pridie Non. April. M. D. XXIX. Patauio.



Emi Lutetiæ Paris
Anno 1598. 17. 1xbr.
J. soulx.
Christoph. Fuerer
ab Hammendorff

Les escrits de Bembe auroient meilleure grace, si ces mots, Paũtrũolr, Fortũnuolr, et autres semblables, ny estoient inserez si souuent, lesquels donnerent occasion au Cardinal Farnese de dire, en riant, cependant qu'il regardoit à Bolongne, une maison bastie, auec beaucoup de fenestres: Questa casa secũdo il Brumbo, è molto feuestrũolr. f. 151. l. 2. de la conũersation ciuile.

35